Q. B. C. O.

CURIOSITATES PHYSICÆ,

DE

RESUSCITATIONE BRUTORUM EX MORTUIS,

RESURRECTIONE PLANTARUM,

CANTIONE CYCNEA,

CONGRESSU ET PARTU VIPERARUM,

CHAMÆLEONTIS VICTU,

ALIISQUE

REBUS JUCUNDIS, RARIS, NOVIS,

ACCURATA METHODO CONSCRIPTÆ,

ET

IN GRATIAM NATURÆ CURIOSORUM,

PUBLICÆ LUCI

EXPOSITÆ


à

GOTHOFREDO VOIGTIO.

GUSTROVI,

Sumptibus AUCTORIS

exscribebat SCEIPPELIUS. Anno 1668.



AD LECTOREM BENEVOLUM
PRAEFATIO.

Multa qvidem, & admiranda de *animalium naturâ* scriptis reliqvêre veterum Sapientes; at dici tamen vix ac ne vix qvidem potest, qvàm varias, qvàm vanas & inanes *fabellas* iisdem inseruerint. Non jam *aërem* pervolabo, *aviumq;* historiam *fabulosam* contexam. Notæ enim, qvid? vel lippis & tonsoribus, qvod dici solet, cognitæ sunt, qvas finxerunt *fabulas* de *Unica-ave Phœnice*, de monstrosis *Gryphibus*, de *Sirenibus*, *Harpyiis*, *Seleucidibus*, de *Pelecano*, *emortuos pullos sanguine suo resuscitante*, & his sexcentis aliis. Sed neqve in *mare* ingrediar, *Tritones*, *Nymphasq;* & *Nereides* examinaturus. Saltim *humo* affixus *humi nascentia animalia* in scenam producam. Proh bone Deus! qvanta hic *fabularum* seges! *Galli* can-

li cantum leonem, omnium qvadrupedum principem, extimescere, tam certum olim *Græcis*, ut *animam Cecropis*, qvam in *leonem* migrasse credebant, immolatis *gallis gallinaceis* evocari sibimetipsis persvaderent. At qvid *fabulosius?* Tantum abest, ut *gallum* reformident *leones*, ut ubi possint, invadant cum *gallinisq;* abripiant. Huic affine & illud *Æliani, Ori, Philes,* & cujus non? dicterium vulgatum, *leonem in senecta qvartanâ laborantem, comestis sibi mederi simiis.* Qvânam enim, qvæso, experientia hoc unqvam comprobatum? Eqvidem valdè metuo, ne id homo qvispiam catus confinxerit, ut συμβολικῶς significaret, *viris principibus*, qvando præ senio viriumq; impotentiâ domi considere coguntur, ac qvid rerum potissimum agatur, ignorant; *qvartanâ ac qverqverâ febre* nocentiores esse *adulatores*, qvi *simiarum* instar *secundas* agere ac parasitari tantum sciunt: nec pestifero huic aularum morbo præsentius esse *remedium*, qvàm *si leo simias istas voret*, hoc est, si *Rex adulatores* istos malè perdat, vel longissimè ab aulâ ac conspectu suo arceat. Hinc postmodum natales duxit celebrata illa de *leonum curatione fabella.* Qvo nomine salutanda etiam veniunt, qvæ de *elephantis Plinius* ille *secundus*, ejusq; Epitomator, *Solinus*, asserta prodiderunt non pauca. *Elephantem* scilicet *humano pollere intellectu, siderum servare disciplinam, sermonem intelligere patrium*

um, vagabundum per deserta hominem in viam reducere, victori herbenas porrigere, duplici corde gaudere, decem pluribusve annis utero gravescere; & qvæ sunt alia hujus furfuris *figmenta*, qvæ partim individuo rationem humanam excipiunt comitatu, partim rerum Magistræ in faciem contradicunt, eaq; propter à naturæ indagatore ac veritatis amatore merito proscribenda. Sed nec melioris monetæ sunt, qvæ apud eundem de *lupi, cum homine & eqvo, antipathia* legimus. *Vestigia* scilicet *lupi calcata eqvis torporem afferre; ejusq; visum adeò esse noxium, ut homini, qvem prius contempletur, ad præsens adimat vocem.* Unde & *Virgilius:*

--- --- --- *Vox qvoq; Mœrin*
Jam fugit ipsa: Lupi Mœrin videre priores,

Atq; hæc absurda persvasio ita inolevit, ut non solum imperitæ plebi, sed magnæ etiam existimationis & primi ferè nominis viris imponeret. Verùm *utinam tot ferulis castigarentur mendaciorum assertores, qvoties à lupis visi sumus nos sine vocis jacturâ*, precamur non immeritò cum subtilissimo subtilitatum Magistro, *Scaligero.* Venatores item manifestum experti sunt falsum, nec tantum ut rem hanc occultam paullò intimiùs cognoscerent, sub pedibus *eqvorum* posuerunt *lupos*, sed & superimpositos domum transportarunt. Qvid dicam de *generatione Basilisci ex ovo galli?* Qvid de *Psittaci loqvela?* Qvid de *Struthionis*

σιδηρο-

τιδηροποιΐα? Certè hæc omnia mera & vera *humani cerebelli* sunt *figmenta*, & otiosorum qvorundam hominum vana *somnia*, ideoq; digna, qvæ examinentur atq; ad veritatis lancem expendantur. Nec aliud habendum de *Resurrectione brutorum & plantarum*, de *Cantione Cycnea*, de *Viperarum partu*, de *Chamæleontis victu*: Horum enim thematum falsitatem, præsenti libello, fusius demonstravi, non qvidem pravâ contradicendi libidine, sed (ita me Candor!) solius veritatis amore incensus. Eâ verò usus sum *methodo*: primò *Auctorum divortia*, circa propositam qvæstionem, *annotavi*; deinde *statum controversiæ explicavi*; tùm *veram sententiam argumentis confirmavi*; eamq; demum *ab Objectionibus adversariorum vindicavi*. Videbis id, *Lector Benevole*, & si qvid boni præstitum, DEO OPT. MAX. id acceptum referes; sin mali, communi hominum sorti & humani intellectus imbecillitati adscribes. Nam, ut eleganter Scaliger; *Nos in luce rerum tenui caligamus, in mediocri cæcutimus, in majori cæci sumus, in maximâ insanimus.* Interim si alicubi forsan errasse tibi videor, modestè, qvæso, illud notes, ac responsionem meam expectes. Vale. Dab. Güstrovii VII. Kal. Decembr. A. Ær. Christ. 1668.

CATALO-

CATALOGUS
SCRIPTORUM
AUCTORIS.

Edita.

I. Opusculum Theolog. de *Fide infantum.*

II. *Deliciæ Physicæ*, in qvibus agitur de *Stillicidiò sangvinis ex interemti hominis cadavere, præsente occisore:* de *Lacrymis Crocodili:* de *Catulis Ursarum:* de *Amore ovis & lupi:* de *Piscibus fossilibus atq; volatilibus:* de *Conventu Sagarum ad sua sabbata:* de *Infantibus supposititiis &c.*

III. Curiositates Physicæ præsentes.

VI. Dissertatio *contra Nivis albedinem*, qvæ jam sub prelo sudat.

Edenda.

I. Lexicon Antiqvitatum Romanarum.

II. Logica Reformata.

III. Miscellanea Philosophica.

IV. Physicalischer Zeit-vertreiber


V. Meletemata Physica qvàm plurima, ex qvibus hæc potissimum nomino: 1. De *Similitudine & dissimilitudine fœtus, respectu parentum:* 2. De *lapide netili et ex eo conficiendis Lucernis Perpetuis:* 3. De *Ungven-*

ta

to armario: 4. De *miris lapidum figuris:* 5. De *lapidibus prægnantibus:* 6. De *plantis metalliferis:* 7. De *oculis cancrorum:* 8. De *rubedine cancrorum coctorum:* 9. De *cornibus cervorum:* 10. De *exuviis animalium:* 11. De *regeneratione partium amissarum in animalibus:* 12. De *viribus Lunæ:* 13. De *Physicâ verborum virtute:* 14. De *Struthionis σιδηροπεψία:* 15. De *Psittaci loqvela:* 16. De *Gallinis aureis:* 17. De *lupi visu & vestigiis:* 18. De *Salamandræ ortu & victu:* 19. De *Basilisci generatione ex ovo galli:* 20. De *Galli cantu:* 21. De *Pelecano, emortuos pullos sangvine suo vivificante:* 22. De *agno vegetabili:* 23. De *Anseribus Scoticis:* 24. De *iis, qvi noctu vident:* 25. De *emersione cadaverum submersorum:* 26. De *Coaxatione ranarum:* 27. De *Vitâ mortuorum & animâ inanimatorum:* 28. De *Metamorphosibus sangvineis:* 29. De *lapidibus fulminaribus:* 30. De *emersione cadaverum submersorum &c.*

Sunt præter hæc & alia, qvæ silentii peplo involvam, ne forsan meipsum, Thrasonum atq; Circumforaneorum more, ostentare atq; jactare videar. Interim Deus & dies in lucem ea proferent.

FELICITER



FELICITER!

CURIOSITATUM PHYSICARUM

CAPUT I.

DE

RESUSCITATIONE

BRUTORUM EX MORTUIS.

AN BRUTUM, IN CINERES REDACTUM, VEL ALIO MORTIS GENERE EXTINCTUM, RESUSCITARI POSSIT EX SUO CINERE?

Neg.

SECTIO I. ΠΡΟΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ, Auctorum dissensum apponens.

§. I.



Ffirmant qvæstionem *Schols* Sphær. mirab. part. 2. c. I. p. 42. *Borellus* Cent. 4. obs. 62. p. 325. 326. *Joh. Bapt. Porta* lib. VI. phytogn. c. 2. *Camer.* Cent. 5. Memor. § 85. *Kergerus* de Ferment. sect 1. cap. 6. p. 54. *Kircher.* de arte magnet.

magnet. lib. 3. part. 3. c. 1. Conject. 2. & scrutin. pest. sect. 1. c. 7. experim. 2. p. 43. Itin. Ecstat. Dial. 2. p. 121 Mund. Subterran. lib. 12. s. 2. c. 1. f. *Kenelmus Digbæus* in dissert. de plantarum vegetat. Londini in Collegio Greshamensi 1660. habitâ, circa fin. Sachs Gamm. lib. 1. cap. 13. p. 254. 255.

§. II. Dubitat verò hâc de re Exc. Dn. *Thomas Bartholinus* in Epistolâ ad Dn. Sachs scripta Hafniæ 16. Aug. 1661. ubi mentionem facit μετεμψυχώσεως Borellianæ, qvâ ex cineribus suis *cancer* resurgat, beneficio salis, qvo vegetabilia repræsentari possint. *Valde tamen dubito*, pergit, *successurum de cancris experimentum, nisi modum operandi nobis apertius indicasset. Vitium enim est plerorumqve scriptorum, arcana revelantium, ut amplissimis promissis mancas descriptiones ornent, sicq; lectores vanâ spe lactent* &c. ap. Sachs. l. c. p. 961.

§. III. Sed Excellentissimus Chymicus, *Rolfinccius*, uti *Resurrectionem plantarum* pro Non-ente Chymico habet, lib. 6. Art. Chym. ita non obscurè ibidem innuit, se idem de *Resuscitatione animalium* statuere, cùm & hanc inter Non-entia illa tractet. Atq; huic etiam ego subscribo, statuens, Resuscitationem illam brutorum prorsus nullam & naturæ planè contrariam esse. Cujus asserti rationes paulò post producam, si prius nonnulla circa statum controversiæ observavero.

SECTIO

SECTIO II. ΠΑΡΑΣΚΕΤΑΣΤΙΚΗ Statum controversiæ exponens.

§. I. Distingv. inter *resuscitationem veram*, & *apparentem*. Hanc concedo, illam nego.

§. II. D. inter *ipsam ex mortuis resuscitationem*, & inter *brutorum è seminibus productionem*. Non illam; sed hanc admitto.

§. III. D. inter *semen fœcundum legitimèq; commixtum*, qvale ovum gallinæ est; & *sterile, debitâq; commistione destitutum*. Non ex hoc, sed illo animal generari posse, assero.

§. IV. D. inter *ipsam generationem*, & *principiorum activorum ad passiva applicationem*. Non illam, sed hanc arti relinqvo.

§. V. D. inter *cinerem*, & in *illo contentum semen*. Non ex illo, sed ex hoc animalia produci posse, statuo.

§. VI. D. inter *resuscitationem bruti ejusdem speciei*, & *ejusdem numero*. Ex cinere bruti, si semina eidem inhæreant (qvod in insectis forsan continget) *idem qvà speciem brutum* resuscitari posse, non inficior; at verò qvod *idem numero brutum*, in cinerem redactum, ex eo redire naturaliter qveat, constanter nego.

§. VII. D. inter *resuscitationem*, qvatenus significat *activorum ad passiva applicationem*, & qvatenus denotat *unius ejusdemq; rei ex sua*

cinere productionem. Non illam, sed hanc rejicio.

§.VIII.D.inter *formarum accidentariarum vel subordinatarum emersionem*; & *veram brutorum resuscitationem.* Illam cùm testetur natura, ego qvoq; approbo; hanc verò repudio Ab illa itaq; ad hanc N. V. C.

§. IX. D. inter *corpora mortua* ὄντως, & φαινομένως. Hæc qvin ad vitam reduci possint, nullum dubium; de illis verò est qvæstio.

§. X. D. inter *corpora mortua*, & inter *corpora in latentiæ statu constituta.* Non illis sed his annumerandæ muscæ sunt, item ranæ, hirundines, & aliæ formæ hyberno tempore latentes.

§ XI. Disting. *Kerger.* inter *corpora viva* & *mortua.* Hæc, cum secundum ipsius mentem, non dentur in natura, resuscitari qvoq; non posse statuit. Illis verò resurrectionem è *vita ignobiliori* ad *nobiliorem* adscribit. Sed nititur *Kergerus* falsâ hypothesi de *vita*, omnibus corporibus competente, qvam, occasione oblatâ, propediem examinabo.

§. XII. Distingvit idem cum Helmontio vitam in *primam*, *mediam*, & *ultimam*. *Vitam primam* dicit ἐνέργειαν animæ, qvâ actiones in suo genere exercet perfectissimas, ut qvando mineralia crescunt, vegetabilia attrahunt suc-

cum

cum & germinant, animal nutritur, sentit aut loco movetur, & si qvid praeterea. *Vitam mediam* appellat ἐνέϱγειαν animae operationibus qvidem suis, sed non vitalibus instructam, ad qvas tamen ei regressus dari potest. Atq; hanc dividit in *Resurgentem*, qvae ad vitam primam adspirat; & *Decidentem*, qvae vitae primae spem paulatim abjicit, atq; ad vitam ultimam tendit; & *Neutram*, qvae instar puncti se habet, & verè media est. *Vitam ultimam* describit, qvod sit ἐνέϱγεια animae, operationibus qvidem suis, sed non vitalibus instructa, ad qvas etiam ei regressus non datur. Verum enim verò cum haec *vita media*, atq; *ultima* verè sit *non vita*, & falsò supponat *animam inanimatorum*, meritò eam, tanqvam merum cerebelli Kergeriani figmentum, rejicio, statuens, corpora illa, qvae *mediam* atq; *ultimam vitam* vivere dicuntur, aut nunqvam vixisse, aut vivere desiisse, adeòq; mortua esse. Unde

§. XIII. Distingvo inter corpora *viva verè*, κατ᾽ἀλήθειαν; & *apparenter*, κατὰ δόξαν. Ad haec, non ad illa pertinent illa corpora à Kergero resuscitanda.

§. XIV. Dist. qvoq; inter *agens naturale*, & *supernaturale*. Non huic, sed illi brutorum è mortuis resuscitationem denego.

SECTIO III. ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ, Negativæ ſententiæ confirmationem proponens.

§. I. Fundamenta negationis meæ peto (1.) *ex regreſſûs à privatione ad habitum negatione.* Unde ita concludo: Qvæcunq; ſententia infert regreſſum à privatione totali ad habitum, illa non eſt toleranda: atqvi hæc ſententia, qvæ animalia mortua in vitam naturaliter revocari poſſe ſtatuit, infert regreſſum à privatione totali ad habitum; Ergo. *Major* fundatur in canone illo vulgatiſſimo, communi Philoſophorum ſuffragio comprobato: *A privatione ad habitum non datur regreſſus. Minor* conſtat, qvia *mors totalem* importat *vitæ privationem.* Unde etiam definiri ſolet, qvod ſit *privatio vitæ in vivente à ſolutione animæ & corporis factâ. Vita* verò deſcribitur, qvod ſit *actus corporis naturalis viventis, eſſe & operationes vitales huic communicans. Sperling.* in inſtit. Phyſ. lib. 7. c. 2. pr. 1. 2.

§ II. Sed excipis (4) ad *Majorem*: eam ſimpliciter non procedere. Digitum enim penitus abſciſſum, ſi adhibito medicamine conveniente reſuatur, nihil prohibere coire, *Baſſo* ait. Si ita ſe habet res, abſciſſus digitus aut erit expers animæ, aut animatus. Si animatus, animam rationalem diviſibilem eſſe, ſeqvetur, qvod tamen abſurdum; ſin inanimatus, à privatione

qvâ-

qvâdam ad habitum dari regressum, inferetur. Huc facit etiam *Chirurgi* solertissimi in Siciliâ artificium, qvi cuidam nasum resectum è brachio inciso & per mensis spatium faciei alligato, reparavit. Qvâ de re ad *Orpianum Calentius* qvidam scripsit: *Orpiane, si tibi nasum restitui vis, ad me veni, profectò res est apud homines mira. Branca Siculus, ingenio vir egregio, docet nares inserere, qvas de brachio reficit, vel de servis mutuatas impingit. Hoc ubi vidi, decrevi ad te scribere, nihil existimans carius esse posse. Qvod si veneris, scito, te domum cum grandi qvantumvis naso rediturum. Vale.* Neq; hodie mira illa de *Nobilis Neapolitani* naso & servi brachio, ignota est historia. Anno Christi 1576. Nobilis qvidam in duello naso truncatus est Opem hic Chirurgi efflagitavit, qvi cum delicatum sensit ægrotum, proprium hominis dissecare brachium noluit, sed ut è brachio servi, more in Chirurgia descripto, nasum sibi comparari curaret, svasor extitit. Conduxit nobilis servum mercede. Hic se illi alligari, brachium secari & cætera adhibenda adhiberi spe lucri passus fuit. Cura processit, nobiliqve reparatus est nasus & servo restitutum brachium.

§. III. Verum respondeo distingvendo inter *privationem totalem*, & *partialem*. Exempla hæc adstruunt saltim *regressum* à *privatione partiali ad habitum*. At de *totali* mihi

sermo, talis qvippe est brutorum in cineres redactorum. Committitur igitur *fallacia ignorationis Elenchi.* Cæterùm tenendum hoc est, digito illi vel naso abscisso, neqvaqvam animam inesse. Qvando enim ejusmodi membrum amputatur, tunc anima retrocedit, illudq; deserit. Cum verò deinde maturè & convenienter corpori iterum conjungitur, tunc anima in id redit ipsiq;, tanqvam novæ materiæ, sese insinuat atq; communicat.

§. IV. Deinde (β) regeras ad *Minorem*: corpora illa brutorum, in cineres redacta, neutiqvam mortua, sed à *gradu* saltim *animæ ignobiliori ad nobiliorem* deducta esse. Sed Resp. esse *petitionem principii.* Et qvid aliud est, ab *anima gradu præstantiore ad inferiorem redigi*, qvàm *verè mori?* *Gradus* enim ille *animæ ignobilior* verè *non animam sapit.* Deinde qvoq; & hoc notandum, non *omnem* per *mortem* tolli *animam*, sed eam tantum, qvæ est *specifica*; illas verò, qvæ *subordinata* vel *accidentaria* audiunt, superstites manere, nil obstat. Qvid? qvod hoc ipsum experientia satis clarè testetur, ex animalibus mortuis & putrefactis nasci animalia, & illa qvidem imprimis, qvibus viva vesci sunt solita. Sic è ciconiis nascuntur serpentes, è gallinis araneæ, ex anatibus, si in fimum defodiantur, ranæ. Verùm à *vitâ animarum subordinatarum vel accidentariarum, ad vitam specificæ formæ*

N. V. C. §. V.

§. V. (2.) *Ex agentis naturalis & supernaturalis confusione.* Qvæcunq; sententia confundit agens naturale & supernaturale, &, qvod huic proprium, illi tribuit, ea non est ferenda: atqvi hæc sententia, qvæ bruta ex suo cinere resuscitari posse dicit, confundit agens naturale & supernaturale, &, qvod huic proprium, illi tribuit; Ergo non est ferenda. *Major* patet, qvia de distinctis distinctè judicandum: at agens naturale & supernaturale sunt distincta; toto qvippe distant cœlo, cùm istud finitâ, hoc infinitâ gaudeat virtute. *Minor* inde claret, qvia mortuis restituere vitam, extraordinarium divinæ virtutis reqvirit concursum. Unde & *Resurrectio mortuorum singularis fides est Christianorum*, dicente *Augustino*. Qvo jure ergo ad naturales referetur causas?

§. VI. (3) *Ex formarum omnium materialium inseparabilium falsa suppositione.* Qvæcunq; sententia supponit, nullam formam materialem à materia esse separabilem, ea rejicienda est; atqvi hæc sententia, qvæ brutorum è mortuis resuscitationem asserit, nullam formam materialem à materia esse separabilem supponit; Ergo est rejicienda. *Major* patet, qvia hypothesis ista falsa est. Qvis enim ignorat, animam eqvinam separari à corpore, si huic nimia inferatur noxa? Qvis ignorat, animam mactati bovis vel ovis recedere à materia? secus enim calcei qvoq; nostri animâ gauderent

bovina. Et qvis sibi persvaderet, farciminibus aut petasonibus inesse animam suis? Nemo certè, nisi cerebrum in calcaneo habeat & fungum in capite Neq; est, ut dicas, formam auri, salis, aqvæ, terræ. ignis, aëris &c. à materia esse inseparabilem. Particularia enim hæc sunt, à qvibus ad universalia qvi colligit, ridetur ab Aristotele, exploditur à Platone, communi etiam Logicorum jussu vapulat. Sed de his alibi plura. Cum itaq; huic fabulosæ formarum omninò omnium materialium inseparabilitati superstructa sit phantastica illa *brutorum resuscitatio*, non potest qvoq; hæc falsitate carere. Nam qvale principium, tale etiam principiatum. *Minorem* verò ut confirmem prolixè, opus non est, cum ea satis perspicuè videri possit ap. *Kergerum* loco allegato.

SECTIO IV. ΑΝΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ, Affirmativæ experimenta componens.

Qvanqvam multa sint, qvæ pro hac brutorum resuscitatione afferri solent, experimenta; singula tamen examinare, instituti mei ratio non permittit. Hinc ea saltim, qvæ Lignicensis physicus, *Kergerus* l. c. produxit, κατὰ πόδα proseqvar, & qvid ponderis singulis insit, videbo.

EXPE-

EXPERIMENTUM I.

Primùm *Kergerus Petrum Mormicum* adducit, qvi in collegio suo Romano ait, qvod sciant *spiritum vegetabilem* elicere non tantum ex *plantis*, sed et ex *animalibus perfectis insectisq;* citante *Borell.* Cent. 4. obs. 62. p. 326. *In salsa enim corporum substantia formam specificam*, ipso corpore destructo, *salvam conservari*, & sub *figura* qvadam *umbratili* posse *conspiciendam*, præberi, non solùm in *vegetabilibus* se præstitisse, sed etiam in *passerculo* se vidisse, pro certo qvidam mihi narravit; & sunt, qvi publico scripto confirmarunt, qvod hoc ipsum *Claveus Gallus* qvasi publicè pluribus demonstraverit. *Eqvidem propriâ experientiâ novi, hoc ex parte verum esse*, inqvit Scholz. *Sphær. mirab. part 2. c. 1. p. 42.* Resp. (1.) utut ponamus, Chymicos *Spiritum vegetabilem* non tantum ex plantis, sed forsan ex animalibus etiam elicere posse, nihil tamen hoc ad rhombum. De *animâ* enim *sensitivâ* hic qvæstio est, cujus destillationem tum demum probabit, qvando ovem lupus uxorem ducet. (2.) Posito etiam, sed nondum concesso, *vegetabilium formam in salsa* corporum substantiâ conservari posse: ab *hâc* tamen ad *sentientem animam* N. V. C. (3.) Nimis creduli sunt, qvi id, qvod qvidam de passerculo pro certo narrat, statim amplectuntur, tanqvam ex tripode dictum. Mihi certè hic Gustrovij tam liberali-

liberaliorem fidem haud esse concessum, fateor. Sed nugis hisce relictis, pergo ad alia.

EXPERIMENTUM II.

Ostreis in salem conversis, mox ubi *arena maris* dictum *salem commiseris*, ingentem *novarum ostrearum sobolem* cum tempore inde prodire reperies. Idem de omnibus aliis sentiendum. *Kircher. Itin. Ecstat. 2. Dial. c. 5. p. 121. Conchylia contrita* in promontorio Peloro Siciliæ ad lacus ripam in arenâ seminata, superaffusâ aqvâ salsâ, conchylia producere, non sine voluptate videre est. Resp. (1.) Largior facilè, *ostreas*, in salem conversas, arenæ permistas aliasq; cum tempore productas esse; sed verò an *præcisè* ex *cinere* illo fuerint ortæ, nondum admittere possum. Qvid enim obstet, qvo minus *ostrearum semen* in *arenâ* repositum, ejus rei caussa existere potuerit? (2.) Idem de *conchyliis contritis* tenendum, qvorum *semina* cum sint subtilia, non adeò facilè per contritionem istam teri atq; corrumpi possunt. Hinc à *productione conchyliorum numero diversorum ex semine*, *ad resuscitationem* eorum *ex cinere vel pulvere* N. V. C.

EXPERIMENTUM III.

Serpens mortuus, minutim concisus, & sub terrâ defossus, novorum plerumq; serpentum semi-

seminarium existit. *Kircher. de art. magnet. lib. 3. part. 5. c. 3. Experim. p. m. 496. Item l. 3. part. 3. c. 1. consect. 2.* Vel si serpentem in minutas partes conscissum pluviali aqva maceratum soli ad nonnullos dies exposueris, deinde in terrâ per integrum diem & noctem sepeliveris, & postea exceptas putredine flaccidas partes smicroscopio examinaveris, invenies totam illam putredinem tantâ serpentulorum pullulantium multitudine scatere, ut nemo adeò lynceus sit, qvi eos numerare possit: qvod idem subinde sensibili intuitu comperias in serpentibus occisis & putrefactis; idq; de omni serpentum genere verissimum esse, jam olim fusè docuimus in *arte magnet. Kircher. scrutin. pest. sect. 1. cap. 7. experim. 2. p. m. 43.* Resp. Hoc experimentum iterum non probat id, qvod probare debet. Nam (1.) D. *inter serpentum resuscitationem, & inter serpentum ex semine productionem. Hanc* probant serpentes concisi atq; putrefacti, non *illam*, de qvâ tamen qvæstio est. (2.) D. inter *putridam materiam*, & inter *seminalem massam in illa contentam.* Non ex illâ, sed ex *hâc* innumerabilis illa serpentum multitudo (si qvæ est) oriunda est. (3.) D. inter *productionem serpentis ejusdem specie, & ejusdem numero. Illa, non hæc* in istis exemplis locum invenit, sed ad rem nihil facit.

EXPE-

EXPERIMENTUM IV.

E mortuis ciconiis generantur *serpentes*, *è gallinis araneæ*, *ex anatibus ranæ*, *è muscarum majorum excrementis vermes* proveniunt, carnibus infesti, *Sperl. Physs. l. 1. c. 3. ad prac. 7. p. m. 81.* Seminarium qvoq; animalium cum aqvis haustis intra corpus humanum recipi, illisq; elusis tot coctionibus & alterationibus tandem vivificari, dubitari non debet. *Erucas* produces cujuscunq; generis, si *plantæ*, è qvâ nasci solent, *succum* pulveribus erucas respicientibus subactum calori temperato exposueris. *Kircher. art. magnet. l. 3. part. 3. c. 1. consect. 2. p. 561.* *Erucas* si in *succum* redegeris, atq; eum radici arboris affuderis, scatebit tota arbor pullulantibus *erucis*. Resp. (1) per dist. VIII. in *παραιν.* propositam. Qvando è mortuis ciconiis generantur serpentes, è gallinis araneæ, tunc ad *accidentarias* confugiendum *formas*, qvæ unà cum animalculorum istorum seminibus, per cibum, potum, aërem, aliisq; modis qvibusdam corporibus insinuantur & ab iisdem assumuntur. Posteà verò recedente *animâ specificâ*, qvæ imperium hactenus tenuit, sui qvasi juris evadunt & ipsæ specificarum naturam induunt. Qvo pertinet etiam horrenda illa historia *Catharinæ Geileriæ*, qvæ aqvam in loco, prato vicino stagnantem, & sine dubio animalium seminio gra-

vidam

vidam avidius hausit, hinc ab anno 1647. ad annum 1653. ultra octoginta animalia integra, bufones, lacertos, ranas &c. præter ossa, aqvam, mucum, sperma, aliaq; per vomitum ejecit. Vid. *Bartholin. Cent. 4. anat. hist. 19. p. 254. ad 260.* Nec diversum judicandum de *Anna Tromperin*, uxore bajuli cujusdam, qvæ, referente *Casp. Bauhino in appendice ad libell. Franc. Roussetì de partu Cæsareo*, anno 1575. messis tempore sitibunda ex scaturigine fontis in sylvula, Brüderholtz / dicta, serpentum sperma se bibisse suspicata est: qvippe exiguo temporis intervallo cœpit ei venter augeri: qvi, ubi tribus mensibus post gravida reddita est, tantam in molem excrevit, ut ad ejus gestationem fascia uti cogeretur. Enixa est tandem puerulum cervice vulnerata & arrosa, una cum duobus serpentibus ex utero prodeuntibus. Qvæ igitur cùm ita sint, mirum sanè, qvod *Kergerus*, perversâ B. *Sperlingii* mente, ista pro *resuscitatione brutorum* probandâ afferre non dubitaverit. Sed nec qvicqvam roboris habet, qvod idem de erucis differit. Nam Resp. (2.) D. inter *formarum subordinationem*, & *erucarum resuscitationem*. Experientia qvidem testatur, è foliis virentibus fieri erucas, ex erucis Chrysalides, ex his papiliones aliàq; alata animalia. *Ipse cùm ante annos jam plures*, ait B. *Sennertus, hujus rei periculum facerem*, & *tempore hyberno, cùm alia herba virentes ad ma-*

num non essent, brassicam rubram contusam in hypocausto, donec in ea vermes generarentur, asservarem: vermes illos in Chrysalides mutari comperi; Qvos cum in arculâ custodirem, eamq; posteà aperirem, multæ parvæ muscæ evolabant; qvæ ex chrysalidibus seu aureliis natæ erant, & ex putamine abrupto prorupebant &c. Vid. B. *Sperling. D fens. Tr. de Orig. Form. p. 310. 311.* Verum enim vero hoc non ad *brutorum resuscitationem*, sed ad *formarum subordinationem* est referendum. (3.) Qvod concernit *succum erucarum*, certum est, eum cum pluribus commistum esse *seminibus*, unde insecta illa, qvibus tota arbor, erucarum succo illita, scatet, suum postea traxere ortum.

EXPERIMENTUM V.

A viro qvodam fide dignò accepit *Sennertus*, *è spuma canis rabidi* in veste hærente, *animalcula* qvædam *canibus similia*, progenita fuisse: nec non in *urinis demorsorum figuras canum* apparere, dicit *Borell. Cent. 4. Obs. 62. p. 327.* Resp. (1.) D. inter *similitudinem*, & *identitatem* Ab *illâ* ad *hanc* N. V. C. *Simile* enim non est *idem.* (2.) Et qvis ignorat, qvanta *accidentariarum formarum* sit efficacia? Qvid igitur prohibet, qvo minus easdem & huic *canis rabidi spumæ* attribuere possimus? (3.) Qvanqvam adhuc dubitare qvis possit de veritate istius relationis. Nam

Eam

Fama malum, qvo non aliud velocius ullum,
Mobilitate viget, viresq; acqvirit eundo,
Tam ficti praviq; tenax, qvàm nuncia veri.

E suis homines multa addunt, & è qvavis muscâ elephantum faciunt. Araneæ casses è proprio corpore gignunt: sic & hominum multi mira diraq; Naturæ opera suopte ingenio nectunt. Echo pro voce una duas aut tres reddit: sic & isti duplicant & triplicant visa auditaq;; ita ut è simplici vero duplex aut triplex natum falsum. Qvod & hîc contigisse, parum abest, qvin dixerim.

EXPERIMENTUM VI.

Plinius autor est, *rânas in limum qvasi resolvi* & nihilominus verno tempore redire, pristino recuperato corpore. *Sperl. ph. l.1. c.3. q.4. p.139.* Vel ex *pulveribus lacustribus* soli certa industria applicatis ranæ gignuntur. *Kircher. l. c.* Resp. (1) Denuo malâ fide agit *Kergerus*, mutilatè *Sperlingii* verba allegans. Minimè enim ibi ex *sua* loqvitur sententia, sed *hypothe-*

potheticè κατ' ἄνθρωπον de interitu formarum differit: *Qvod si*, inqviens, *ita haberet, in limo etiam salva sartaq; anima illa perstitisset.* (2) Rem verò ipsam qvod concernit, falsum est, *ranas in limum resolvi & verno tempore, pristino* recuperato corpore, redire. *Abscondunt* enim se hyberno tempore saltim in limo, & qvasi mortuæ in rimis terrarum latitant: qvod & hirundinibus, muscis aliisqve formis, in statu latentiæ constitutis, evenire solet. (3) *In pulveribus palustribus* occultatur non rarò *semen ranarum*, ex qvo, cæteris paribus, postmodùm ipsæ producuntur ranæ. Hinc dist. inter *materiam in qvâ, & ex qvâ. In pulveribus* qvod fit, non statim *ex illis* oriri censendum est. Distingvendum item inter *pulveres lacustres* spectatos *ratione sui*, & ratione *seminis admisti.* Non *illo*, sed *hoc* modo ranæ ex iisdem nasci, statuendum est.

EXPERIMENTUM VII.

Cancrorum fluviatilium cinis in loco humido vel in vase terreo sinatur cum aqvâ modicâ, hinc intra 20. dies innumeræ atomi animatæ visuntur, qvæ si sangvine bovino irrorentur, in cancros pau-

latim

latim commutantur. *Borell. Cent.* 4. *Obs.* 34. *p. m.* 304. Idem etiam, sed pluribus describit *Kenelmus Digbæus* l. c. in hæc verba desinens: *Cancri abluantur ab omni terrestreitate, ac coquantur sufficienter (ad minimum duabus horis) in sufficiente aqvæ pluvialis qvantitate, reservetur hæc decoctio, ac ponantur cancri in vitro alembico, ac destilletur omnis liqvor ex iis, qvantum fieri potest, extrahatur, hunc seorsim reserva. Tunc calcinando pisces seu cancros in reverberatorio redigas in cineres cum priore tua decoctione, extrahe ex iis sal, qvi filtretur; & omnis ei humiditas evaporando subtrahatur. In salem in fundo remanentem effundas tuum destillatum liqvorem, & reponas in locum humidum, ut putrescat, & intra paucos dies invenies ibi parva animalia sese moventia, magnitudinem milii seminis vix excedentia. Hæc nutriri debent sangvine bovino, donec ad magnitudinem mediocrium nodulorum, qvibus in vestibus utimur, pervenerint. Tunc hi immittantur lignea*

urnæ, aqvâ pluviâ, & bovino sangvine repletæ, mutando ad tertium diem aqvam & sangvinem, atq; hoc modo qvamlibet iis magnitudinem inducere poteris, qvæ omnia manu qvasi ducunt ad Mysterium Resurrectionis mortuorum. Hactenus ille. Cui pollicem etiam premit Exc. Dn. Sachs l. c. p. 254. seq. Sed Resp. Hanc artificialem cancrorum productionem, *fictitiam* esse, & svave humani cerebelli repræsentare somnium. Nec diversum docet ipsa auctorum probatio. Nam (1.) malè à *genere indeterminato ad determinatam* concludunt *speciem*. Uti enim non seqvitur: Ibi periit arbor; Ergo fuit prunus. Ibi orta est herba; Ergo est viola. Sic qvoqve minus rectè infertur: ibi in cinere cancri macerato videntur *animalia*; Ergo sunt *cancri*. Qvæ? Qvalis? Qvanta? (2) Qvis nescit, *formas subordinatas atq; accidentarias*, excusso *specificæ* jugo, dominari, & ex materiâ illâ, in qvâ antea conservatæ fuerunt, idonea sibi elaborare organa; Hinc enim *vermiculi ex caseo*, immò ex ipso corpore nascuntur humano. (3) Et qvis unqvam *renascentes* illos vidit *cancros? Vermiculos* qvidem ibi forsan observatos fuisse, admittere possumus

mus: horum enim *semina* aqvæ pluviali & sangvini bovino inesse, experientia non semel testatum fecit; sed ab *his* ad *cancros* dilabi non statim debemus.

EXPERIMENTUM VIII.

Scorpiones exanimati contactu herbæ scorpionidis, exsuscitantur rursus contactu radicis hellebori albi. *Rattray adit. ad Sympath. p.* 22. Resp. (1.) D. inter *scorpiones exanimatos* φαινομένως & ὄντως: *si verè exanimes* sunt, animæ nunqvam reddentur compotes, vel mille adhibitis radicibus atq; herbis. *A privatione* enim *ad habitum non datur regressus*: Et *contra vim mortis non herbula crescit in hortis*. Qvod si verò *exanimes* saltim *videantur*, non nego, beneficio sympathiæ, per herbas illas atq; radices vitæ eos restitui posse. Sed ita committitur *fallacia ignorationis elenchi*. (2.) D. inter *actum vitæ primum*, & *secundum*. Non *ille*, sed *hic* tantùm à scorpionibus reviviscentibus abest.

EXPERIMENTUM IX.

Accidit mihi ipsi, pergit Kergerus, *ut ad littus maris Balthici obambulans*

animadverterem, è spumâ maris innumeros culices generari: Spumâ itaq; illâ attentius excussâ, reperi eam nil aliud esse, qvàm ipsos culices, ventorum impetu vel proprio errore in mare compulsos atq; suffocatos; fluctuum deinde reciprocantium pulsu in littus ejectos, blandoq; solis fotu resuscitatos: qvemadmodum muscæ suffocatæ facillimo negotio in vitam revocantur, si cinere, bolo, cretâ, vel similibus pulverisatis sepeliantur. Deposito enim in his humido superfluo atq; suffocante, in vitam reduces avolant, iterum iterumq; suffocandæ, vivificandæ; qvod & pueris notum. Pediculos non tantum suffocatos, sed & coctos in vitam redire, à fide dignis accepi. Resp. (1) falsò animadvertit *Kergerus*, è *spumà maris* innumeros *culices* generatos esse. Nam *in spuma* qvod fit, non statim *ex eâ* producitur. (2) falsò scribit, *culices suffocatos* posteaq; blando solis fotu resuscitatos esse. *A privatione ad habitum non dari regressum*, jam anteà dixi. Interim dist. inter *culicum suffocationem*, *s. vitæ (substantialis) sublationem*;

nem; & inter *ejusdem obscurationem*, *s. actus secundi inhibitionem. Obscurata* saltim fuit in culicibus *vita*, impetu maris, non *penitus sublata*. Abfuit tantum *actus vitæ secundus*, *sed primus* reverâ adfuit. A negatione autem *illius*, ad negationem *hujus* N. V. C. (3.) *Pediculos* non tantum suffocatos, sed & coctos in vitam redire, credat Iudæus Apella. Ego certe assensum huic figmento largiri nondum possum, utcunq; à fide dignis id se accepisse, *Kergerus* scribat.

EXPERIMENTUM X.

In Thebaide Ægypti, qvo tempore maximè exundat Nilus, atq; inde humectatâ tellure subitò solis calor supervenit, gignitur *murium* vis incredibilis, autore *Diodor. Siculo l. 1. biblioth. c. 1. 2.* periere scilicet antea illis in locis mures, qvorum animæ ex sua putrilagine corpus iterum formant. Resp. Dist. inter *ipsam murium in Ægypto generationem*, & inter *generationis illius à Kergero factam & fictam explicationem*. Concedo, *mures* humectatâ tellure in Ægypto *generari*; nego vero, illos *eo*, qvo *Kergerus* existimat, *modo* produci. Nam mures periisse, & tamen

ſuperſtites animas ex putredine corpus ſibi iterum formaſſe, Chimæricis fabulis ſimile figmentum eſt. Hoc potius ſtatuendum, vel mures iſtos eſſe aqvaticos & delectari locis humidis in iisq; magnâ copia generari; vel auffugiſſe mures, exundante Nilo, recedente verò eo, rediiſſe; vel, mures cùm putredine gaudeant, ibi confluxiſſe & mediante ſemine ſeſe multiplicaſſe; vel deniqve murium formas, in latentiæ ſtatu conſtitutas, poſtmodum, præſente calore, vitæ fuiſſe reſtitutas.

EXPERIMENTUM XI.

Multa corpora omni vita & animâ deſtituta eſſe, huc usqve creditum eſt, qvæ tamen dioptica vivere deprehendit. Qvis credere poſſet, *acetum & lac & ſanguinem febrientium* innumerabili multitudine *vermium* ſcatere, niſi id microſcopica ars hiſce ultimis temporibus ſumma omnium admiratione docuiſſet? *Kircher. art. m. luc. & umbr. l. 10. part. 2. c. 8. §. 5. pragmat. 2. p. 832.* Huc pertinent vermes aut animalia in qvacunqve hominis vel aliorum animalium partibus genita, cujusmodi obſervationes plurimæ reperiuntur in plurimis autoribus, imprimis *Sennerto*

nerto Instit. Med. l. 2. part. 3. sect. 1. c. 11. p. 340. Resp. Hæc nihil ad rem. Solutio ex antecedentibus constat. Hinc crambem bis vel ter coctam ac recoctam denuo apponere nolo.

EXPERIMENTUM XII.

Ex hac vitâ mediâ etiam causam invenire licet, cur ossa, cornua & similia sub terris crescant, (si crescunt) vide *Libav. l. supra c.* Fuit tamen etiam cum crederet *Bartholinus*, ossa crescere posse, & hinc sæpius ossa gigantibus similia erui & consvetam magnitudinem excedere. *Hist. an. Cent. 4. h. 94. p. 417.* Præsertim in Daniâ, ubi gigantes unqvam habitasse, nullæ historiæ meminerunt. Consule l. c. *Cent. 1. §. 98. p. 157.* **Mann hat mir sagen wollen / daß in Indien ein Ort sey / da die Hörner der Thiere / als von Ochsen / Kühen und Ziegenböcken / wann sie auff das Erdreich geworffen würden / wachsen und Wurtzeln in die Erde setzen sollen / daß sie so steiff stünden / als wenn sie aus der Erden gewachsen weren / und kan man solche mit Gewalt kaum heraus ziehen.**

ziehen. Mandelslo' Morgenländ. Reise-beschreib. Dieses schreibet Hugo von Lindschotten ausdrücklich / und giebt es vor ein warhafftig Ding aus / saget / daß es auff der Insul Goa geschehe / an einem steinichten Orte / woselbst die Schlächter die Hörner als nichtswürdige Dinge hinwerffen / und habe er selbst etliche aus der Erden gezogen / welche 2. und 3. Spannen lang Wurtzeln in die Erde geschlagen hatten / sollen sonst nirgend als bey Goa gefunden werden. Indianisch Schiffarth. Arthus und de Bry im 4. Theil 17. cap. Citante *Oleario præf. ad lect.* in Mandelslo. Gallorum calcaria in capitibus eorum incisis posita crescunt & magna evadunt, sicq; possent ulceratione vel vulnere facto jungi duo corpora, imò cornua recenter avulsa in variis animalium partibus, nuperq; vaccam cornua multa in pede habentem vidi, & de capra idem legitur, qvæ forsan sic peracta fuerunt. Sic etiam nunc novi dentes admoventur, qvi vitam contrahunt, si à vivo avellantur animali, qvod casu detectum fuit. Cùm enim qvidam dentes duos amisisset ictu, idq; ægrè valdè

ferret,

ferret, ob deformitatem, eos subito reposuit joci gratiâ; & tamen radices egerunt & firmitatem pristinam sibi compararunt. *Borell. Cent. 1. Obs. 10. p. 14.* Cornua etiam vervecina & bubula vidi, qvæ radices in terrâ egerant, ut cornu plantatile *Linschotti. Borel. Cent. 4. obs. 52. p. 318.* Resp. (1) *Vita* illa *media* est *non-vita*. Hinc nullæ ejus *affectiones*, nullæ *effectiones*. (2.) Dist. inter *accretionem propriam*, & *impropriam*. *Hæc*, non *illa* ossibus & cornibus sub terrâ existentibus, tribuenda. (3.) D. inter *continens*, & *contentum*. Si verum est (de qvo tamen adhuc valde dubito) cornua illa radices egisse in terrâ, tum non tam ad *cornua*, qvàm ad ipsa *contenta* est respiciendum. (4.) Obscurum admodum, qvomodo gallorum calcaria in capitibus eorum incisis posita, crescere dicantur. Nam aut *vivi* adhuc sunt isti galli, aut *mortui*. Si *hoc*, petitionem principii committit: sin *illud*, anima galli iis se communicat atqve augmentationis opus præstat: ex qvo tamen nihil contra nos efficitur. (5) Atq; hoc ipsum qvoq; respondendum est ad exempla *cornuum & dentium avulsorum*, & iterum suis locis insitorum.

EXPERIMENTUM XIII.

Deniqve de *phantastica hominis resuscitatione* aliqvid ex *Borello* apponit. *De Richier*

chier Saponarius, inqvit Borellus, *& Bernardus Germanus, ex relatu Dn. de Gerzan, & aliorum, sangvinem humanum destillantes, qvam veram lapidis sui materiam credebant, viderunt in cucurbitâ phantasma humanum, è qvo sangvinei radii prosilire videbantur, & rupto vase invenerunt tanqvam cranium humanum in fæcibus.* Eandem ferè refert Historiam eqves Anglus Flud de qvodam la Pierre vocato, qvi mugitum ingentem audivit, qvo hospites ejus perterriti fuerunt, & phantasma vidit humanum. Ajunt autem, hæc accidere tantùm, cum sangvis petitus est à viro, qvi (violenter) mortuus est. A capite enim, truncato carnificis manu, sangvinem habuisse ferebatur. Fuerunt etiam tres curiosi, qvi terram S. Innocentii (cœmeterii ita vocati) loci innumeris corporibus mortuorum pleni, Lutetiæ etiam pro verâ alchymiæ acceperunt materiâ, & phantasmata etiam in phialis perceperunt, à qvibus non parum perterriti fuerunt. Hinc fit, qvod à sole elevata hæc terra, phantasmata ut plurimum in cœmeteriis videantur, qvæ pro diabolo habentur, cum tamen naturaliter erumpant. Sic *Albertus* M. figuras o-

lim

lim è terrâ evocabat. Sed hæc noctu tantum conspicua sunt, qvoniam cum luminosa parumper sint, à solis lumine, ut stellæ confuscantur, adeò, ut apparere neqveant, licet tamen ibidem sint. *Cent. 4. obs. 62. p. 325. 326.* Hoc certum, è *sanguine* qvocunq; etiam *humano*, eluendo cum aqva tepida & comprimendo, posse *massas carneas* generari. Verum *Resp.*

(1.) Non constat, cur *Kerg.* hæc *experimenta* seu potius *figmenta* adducat. Nam primùm ipse nescit, an apponere illa debeat, nec ne? deinde ipse qvoq; hanc *hominum resurrectionem phantasticam* vocat. Jam verò a. *resuscitatio* illa *brutorum*, cujus gratiâ hæc fabula allegatur, est *phantastica*, a. non. Si est, frustra hactenus *Kerg.* laboravit in eâ probandâ. Si non, cur apponit, argumentorum loco, phantasmata. Argumentor ita: Q. est fictitium & phantasticum, id pro confirmando dogmate Physico adduci non debet: atqvi Resurrectio illa hominis &c. Ergo. *Major*: qvia dogmata physica sunt realia; qvæ non probantur per fabulosa. *Minor* est concessa. Sed dicas: *Kerg.* hæc saltim *illustrationis* gratia adduxisse? Resp. (α) Nulla ibi *illustrationis* fit mentio. (β) Non de *illustrandâ*, sed *probanda* brutorum resurrectione tractationem instituit. (γ) Si *illustranda* sunt themata Physica

fabellis

fabellis, qvid tandem reliqvum erit de *scientia*? (*d*) Eum saltim in finem allegat phãtasticam hominum resurrectionem, ut aliqvam *naturæ possibilitatẽ* incredulis demõstraret. Verum ad *Script. S. fundamenta* increduli isti sunt ablegandi, non ad *rationis humanæ figmenta*. (2.) Tantum abest, ut saltim *dubia* ista sint, ut potius è diametro veritati adversentur. Nam *resurrectio hominum* omnes *naturæ naturatæ transcendit vires*, & *soli infinito ac omnipotenti DEO propria est*. (3.) A *Similitudine ad identitatem*, *à specie seu imagine ad rem ipsam* N. V. C. *Imago cranii humani* non dat *hominem*, *nec phantasma humanum* eundem sistit. (4.) *Spectra cum naturæ operibus* confundenda non sunt. *Mugitus* enim qvem *Petrus* ille apud *Anglum* audivit, & *phantasma hominis*, qvod vidit, ad *spectra* potiùs, qvàm ad *naturæ opera* pertinent. Idem de experimento trium illorum Curiosorum judicandum. (5.) Nec deniq; *massæ carneæ* probant, qvod probare debent. Concedo enim facilè, sangvinem humanum admista aqvâ ita concrescere posse, ut *massam* aliqvam *carneam* repræsentet; Verùm *an ex sangvine verus homo per artem chymicam resuscitari possit?* Hoc est, qvod non tantum in *dubium* voco, sed prorsus etiam *Nego*.

CAPUT



CAPUT II.

DE RESURRECTIONE PLANTARUM.

AN NIMIRUM PLANTA EX SUO CINERE RESURGERE POSSIT NATURALITER? Neg.

SECTIO I.

ΠΡΟΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Exhibens Auctorum dissensum.

§. I.

UT ordine procedam, *sententias* circa præsentem de *Resurrectione plantarum* qvæstionem, in *tres* potissimum *classes* distingvam. *Prima* habebit *affirmantes*, *altera dubitantes*, *tertia* deniqve *negantes*. Qvi *affirmant* problema, seqventes ferè sunt: *Paracels.* in secret. natural. *Kircher.* de art magnet. & in Mundo Subterr. *Kerger.* de Ferment. l. c. p. 50.

l. c. p. 50. *Magnen.* in Democrit. rediv. disp. 2. c. 2. prop. 19. p. 183. *Jacob Gafarell.* in Curiosit. inaudit. *Quercetan.* in defens. contra Anonym. c. 23. *Borell.* c. 3. obs. 71. p. 253. *Joh. Tackius* de consangv. auri, sacch. & vini p. 43. *Joh. Jacob Wenceslaus Doberzensky de Negroponte* in amœniore Philos. de Font. part. 3 prop. 1. *Oswald. Grembs* Arbor. homin. l. 3. c. 3. §. 105. *Schottus* in mirabil. art. *Harsdörffer* tom. 3. recreat. mathemat. Part. 9. §. 26. *Sachsius* Gammar. p. 246. *Vigenarius* in tract. de igne & sale p. 262. *Henr. Meibomius* in Epistolâ, præfixâ corpori glorioso Theophili Spizelii, *Joh. Carol. Rosenberg.* Rhodol. part. 2. c. 3. p. 395. Atq; hi *classis primæ* fuere cives.

§. II. Ad *secundam* pertinent *dubitantes*, qvales sunt *Libav.* lib. 2. de Ran. c. 17. p. 386. & *Camer.* cent. 9. memor. §. 24 aliiq; pauciores; qvi nec asserere qvicqvam audent, nec pertinaciter inficiari, cùm nullam certam habeant istiusmodi rerum experientiam. Audiamus *Libavium* l. c. ita differentem: ***Dubitari tamen potest, qvod similitudinis vis & progenerationis adsimile vi ignium percat: qvid, qvæso, relinqvatur vitale?***

Cinis

Cinis, & in eo salsugo: Spiritus aëreus & Mercurialis est dissipatus, tum qvod ignis non relinqvat seminium incorruptum, sed violenter solvat mista, dicere autem à cœlo accipere relictos cineres sibi convenientem formam instar fomitis aridi, in explicatione qvidem valere, attamen & dubiis non carere. Hæc ille.

§. III. Seqvitur demum *tertia classis*, *Negantes* complectens, ex qvibus præ cæteris nomino Exc. Dn. *D. Rolfinccium* l. c. & CL. Dn. *D. Majorem* in dissert. Epistol. de Cancris & serpent. petref. p. 32. Et his *meum* qvoq; addo calculum.

SECTIO II.

ΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Sistens controversiæ statum.

§. I.

Dist. inter *plantam veram*, & *imaginariam*; sive, qvod eodem recidit, inter *plantam ipsam*, & *ejus imaginem*. Concedo, *imaginem* qvandam *plantæ, ex* cinere combustæ repræsentari posse; nego autem, *veram* inde esse oriundam.

 §. II. Dist.

§. II. Dist. inter *plantam eandem numero*, & *specie eandem*. Tametsi forsan ex cinere *eadem qvà speciem planta resurgere* possit; impossibilis tamen est atqve manet *ejusdem numero plantæ ex suo cinere resuscitatio*. Qvæ enim periit anima, revocari non potest.

§. III. Dist. inter *plantæ corruptionem totalem*, & *partialem*. *Ex hâc qvodammodo resurgere* posse plantam, concedo; ex *illâ* verò, nego. *Nam à privatione totali ad habitum non datur regressus*.

§. IV. Dist. inter *cinerem*, & *in cinere contentum salem, vel semen*. Ex *hoc* resurgere potest planta, beneficio *artis Chymicæ*, principia activa passivis applicantis; ex *illo* verò minimè. Videntur hoc ipsi etiam *adversarii* innuere, dum *in cinere* dicunt latere *salem*, *in sale* autem *principium seminale*. Verùm si hoc est, non ex *cinere*, sed ex *semine* producetur *planta*, atq; sic non tam *resuscitabitur*, qvàm *generabitur*. Hinc

§. V. Dist. inter *resuscitationem*, & *generationem*. *Hanc* plantis attribuo, *illam* vero, propriè acceptam, ipsis denego.

§. VI. Dist.

§. VI. Dist. inter *resuscitationem naturalem, & supernaturalem. Infinitâ* Dei infiniti potentiâ atq; *virtute* plantam corruptam *restaurari* posse, non nego; nego tamen, *vi naturali* id fieri posse.

§. VII. Dist. inter *Naturale*, qvatenus opponitur 1. *supernaturali*, 2. *fortuito*, 3. *violento*, 4. *voluntario*, 5. *artificiali*. *Primo modo Naturale* significat illud, qvod est secundum communem naturæ cursum à causis naturalibus. *supernaturale* autem, qvod Deus efficit in creaturis præter consvetum naturæ ordinem, absq; creaturarum tamen repugnantia. *Sic naturalis* est pluvia, *naturalis* germinatio plantarum, *naturalis* generatio animalium; *supernaturalis* autem cometa, pluvia miraculosa lactis, frumenti &c. *Secundò modo*, *Naturale*, id notat, qvod freqventer & à causâ per se fit; *fortuitum* autem, qvod raró & à causa per accidens contingit. Sic *naturaliter* generantur homines & animalia; *fortuito* producuntur monstra. *Tertio sensu naturale* respicit principium motus ab intra; atq; sic *violentum* est, qvod à causâ externâ movetur. Hinc *naturaliter* descendit pluvia, ascendit ignis, progreditur animal; sed *violento* motu ignis

detruditur, *violento* motu lapides projiciuntur in altum. *Qvarto respectu*, *Naturale* innuit, aliqvid non procedere ex libero arbitrio, sed inclinatione solius naturæ; ut qvando bos currit, eqvus hinnit, canis latrat &c. *Voluntarium* autem est, qvod proficiscitur à libero arbitrio. Sic actiones Dei, angelorum & hominum *voluntariæ* dicuntur. *Qvinta* tandem *modo Naturale* notat tale, cujus veritas immediatè æstimatur ex intellectu Dei; *Artificiale* autem, cujus veritas immediatè æstimatur ex intellectu artificis. Atq; hâc ratione Ens in Metaphysica distingvitur in *Naturale* & *Artificiale*. Sed hæ posteriores significationes omnes alienæ sunt; *prima* tantùm ad qvæstionis explicationem facit. Dum. enim nego, *plantam ex suo cinere resuscitari posse naturaliter*, intelligo *vires naturæ*, sive *naturale*, *primo modo* acceptum, qvod tamen *artem* penitus non excludit. Vide Caput I. Sect II. ubi plura invenies.

SECTIO

SECTIO III.

ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Negativam ſententiam adſtruens.

§. I.

QVæ ſupra contra *brutorum reſuſcitationem* produxi argumenta, ea & hîc locum habere poſſunt. Similium enim ſimilis ratio eſſe ſolet. Interim tamen, ut res eo clarior atq; evidentior fiat, nonnulla denuò repetam atq; apponam. Et primum qvidem (1.) argumentor ita: Qvicqvid vitâ privatum eſt, illud virtute naturali reviviſcere neqvit: atqvi *plantæ, in cinerem redactæ*, vitâ privatæ ſunt; Ergo *plantæ, in cinerem redactæ*, virtute naturali reviviſcere neqveunt. *Major* canonicâ ſuâ gaudet auctoritate. *Minorem* hoc Proſyllogiſmo confirmo: Cujuscunq; plantæ materia eſt deſtructa atq; in atomos reſoluta, illius etiam anima periit atq; annihilata eſt: atqvi *plantarum, in cineres redactarum*, materia eſt deſtructa atq; in atomos reſoluta; Ergo *plantarum, in cineres redactarum*, anima etiam periit & annihilata eſt. *Propoſitio* conſtat, qvia *anima* plantarum *materialis* eſt, nec ſine

proportionatâ materia subsistere potest. *Subsumtionem* v. demonstrat experientia.

§. II. (2) Qvæcunq; plantæ producuntur beneficio *artis Chymicæ*, illæ non sunt *veræ ac physicæ*: atqvi *plantæ, in cineres* redactæ, producuntur beneficio *artis Chymicæ*; Ergo *plantæ, in cineres redactæ*, non sunt *veræ ac Physicæ*. *Major* probatur: Qvicqvid est *accidens*, illud non potest producere *substantiam*: atqvi *ars Chymica* est *accidens*; Ergo *ars Chymica* non potest producere *substantiam*. Porro: Qvicqvid non potest producere *substantiam*, illud etiam non potest efficere *plantam*: atqvi *Chymica ars* non potest producere *substantiam*; Ergo etiam non potest efficere *plantam*; Ergo *plantæ*, qvæ productæ dicuntur *arte Chymicâ*, *veræ* non sunt, sed *phantasticæ*.

§. III. Dicis: *Chymiam non immediatè resuscitare plantas, sed mediante naturâ*. Resp. Bene. Qvæcunq; autem *planta* producitur à *natura*, ea non *resuscitatur*, sed *generatur*. *Generatio* enim illud unicum atq; solum est medium, cujus beneficio Deus gloriosus res, naturâ sua ad interitum vergentes, à miserabili illa liberavit labe atq; clade, dum dixit: *Crescite &*

te & multiplicamini. Nulla ibi *resurrectionis*, nulla *resuscitationis Chymicæ* fiebat mentio.

§. IV. (3.) Si in *cinere combustæ plantæ* latet *principium seminale*, ex qvo *alia* denuo producitur, seqvitur, qvod *producta* non sit *eadem numero planta*, qvæ *combusta* erat: atqvi verum est prius, secundum adversarios; Ergo & posterius. *Majoris* connexio patet, qvia illud *semen* non est *principium plantæ combustæ*; sed ejus potius *effectus*. Qvemadmodum *semen patris* non est *ejus ipsius caussa*; sed *filii*, ex eo generandi. Sicut autem *filius* ex patris semine productus, ab eo *differt numero*, licet *specie conveniat*: ita & *resuscitata planta* à *combustâ*, *numero distingvitur*, qvia ex ejusdem semine producta est.

§. V. (4.) Si verè *planta resurgeret ex suis cineribus*, necessum esset, ut resurgeret *eâdem prorsus magnitudine*, collectâ in totum *materiâ priori*, restituto *eodem vigore*, & revocatâ *eâdem animâ*: at posterius est falsum; Ergo & prius. *Minorem* confirmat ipsa rerum magistra, *experientia*: hanc qvi negat, contrarium probet; id qvod tum demum fiet, qvando locusta bovem pepererit.

§. VI. Alia subjicerem *argumenta*, nisi hæc ipsa tanti essent, ut omnem adversarionem impetum facile eliderent atq; superarent. Nihilominus tamen ex superabundanti *Experientissimi* Dn. D. *Majoris* addam verba, qvæ non parum faciunt ad sententiam meam illustrandam. Ita autem ille loco citato: *Qvam (1.) pauca & rara sunt ejus rei* (nempe resurrectionis plantarum) *exempla? (2.) qvantopere Autores inter se non conveniunt, alio Sal fixum, alio Volatile, ad insinuandum rei miraculum urgente. (3.) Neq; solidi qvicqvam inest plantis istiusmodi, ut videntur, resuscitatis; denegato enim ipsis calore externo, facile, nisi fallor, in pristinum, in qvem redacta sunt, cinerem relabuntur, nec prius repullulant, qvàm novo eoq; blando Lucernæ calore, qvicqvid volatile in ipsis est, rursus excitetur. (4.) Neq; porrò, si plantæ, certo artificio tractatæ, resurgunt ex cineribus suis, atq;, phœnicis instar, revivi scunt, resurgunt eodem prorsus pondere, vel magnitudine, qvâ primitus gaudebant:*

bant; id qvod necessum foret, si vera daretur earundem Resuscitatio. (5.) Multò minus Salia vel Lixivia congelata sunt id, qvod referunt; sed meræ rerum larvæ, mera corporum idola, & mera ludentis naturæ pægnia. Atqve his Sectionem etiam hancce tertiam claudo, & ad ultimam me converto.

SECTIO IV.

ΑΝΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Adversariorum Experimenta examinans.

EXPERIMENTUM I. KIRCHERI.

QVæ *Athanas. Kircher*, Mund. subterran. lib. 12. sect. 4. pag. 414. de resuscitatione plantarũ habet, seqventia ferê sunt: In cinere, *inqvit*, salem, in sale, tanqvam in centro, latere cujuscunq; rei vegetabilis virtutem seminalem, jam variis in hujus operis (*mundi subterranei*) libris ostensum fuit; fieri itaq; potest, ut sal ex plantis arte

non omnibus nota extractus, uti ſpermatica virtute herbæ pollet; ita qvoq; inſeparabili eidem connexus nodo, dum plasmatica facultas calore tenui & leni in ſale vi ſeminali excitatur, ex innato qvodam appetitu ad id formandum feratur, ad qvod à naturâ deſtinatus fuit, vi ſalinis corpuſculis, in qvibus plaſtica vis latet, in illam formam, qvam ſemen poſtulat, confluentibus; atq; adeò plantam exhibeant ſub eâ formâ, qvam planta, ex qvâ ſal extractus fuit, ſua natura reqvirit; Cujus rei experimentum in præcedentibus libris dedimus, de cineribus variarum plantarum, qvarum lixivia hybernis menſibus ad congelandum expoſita in glaciali cruſta eas plantæ formas exhibeant, ex qvarum cineribus lixivium factum fuerat.

Circa hoc experimentum ſanè mirificum diu multumq; verſatum me eſſe, affirmare auſim, donec

tandem

tandem alium qvendam modum inveni, qvo *plantam* intra phialam oblongi colli hermeticè clausam ex suis cineribus excitavi, atqve in meo musæo *decennium* ferè advenis cunctis spectandum exhibui, donec anno 1657. qvo *Regina Sveciæ CHRISTINA* musei mei visitatione me dignata, summâ animi sui voluptate artificium istiusmodi spectavit; qvod cùm post discessum ejus extra fenestram posuissem, postero die reversus, vehementiori frigore, erat enim mensis Februarius, phialam ruptam finem spectaculi fecisse reperi, qvasi dedignatam monstrare se amplius, postqvam Regina tanti nominis eam tanto lustrandi honore affecisset; ego verò sive expensarum faciendarum causa, sive magni laboris pertæsus ἐγχείρησιν non amplius aggressus, in suo chao reliqvi. *Modum* autem & *rationem*, qvâ hoc artificium confecit, non addidit; subjecit tamen alium, qvem apponere operæ pretium videtur.

MODUS

MODUS KIRCHERI RESUSCITANDI PLANTAM.

Accipe seminis plantæ cujusvis maturrimi, tempore & cælo serenis Lib. 4. quæ in mortario contusa phialæ mundæ, quam optimè clausæ impones, & ne vel minimum expiret, caveto, asservatâ quoq; phialâ in loco munito. Hoc peracto observabis tempus vespertinum cæli serenissimi, ut seqventi nocte rorem decidentem colligas.

Phialam reservatam aperi, semen contusum comminutumq; exime, & super tabulam vitream extende, hanc verò tabulam cum semine in horto aliqvo aut prato sub dio libero expositam relinqve, & ne aliqvid roris abundantioris è tabula defluendo pereat, tabulam una cum semine in patinâ latiusculâ collocabis, sic fiet, ut ros copiosè supra semen decidens, ipsi commodius naturam suam nocturnis hisce macerationibus conferat.

Eodem

Eodem tempore ad rorem commodius excipiendum qvatuor palis affixum linteamen subtile & purissimum extendatur, qvod madore nocturno imbutum, deinde in vitrum mundissimum ad octo circiter mensuras exprimatur.

Porrò semen imbutum rore nocturno iterum phialæ suæ inclusum, ne qvid inde expiret, aut calore solis extrahatur, ante solis ortum pristino loco reponatur. Ros ex linteamine expressus sæpissimè percoletur, colatus aliqvoties destilletur, donec omnibus fæcibus & terrestri immunditie immunis evadat: fæces verò relictas calcinabis, & salem dabunt pulchrum visu, qvi mox in rore distillato dissolvatur.

Ros hoc sale imbutus semini in phiala asservato altitudinis trium digitorum affundatur, deinde in phiala hermeticè cum vitro contuso & borace signata in loco calido & humido asservetur, aut etiam sub fimo eqvino, menstruo spatio condatur; deinde exemtam phialam considera, & semen adinstar

instar gelatinæ transmutatum, spiritum cuticulæ instar videbis variis coloribus variegatæ supernatantem, & intra cuticulam & terram limosam rorem de natura seminis existentem instar seminis viridis.

Phialam hanc ita sigillatam per totam æstatem suspende in loco, solis interdiu, noctu lunæ, reliqvorumq; siderum radiis pervio, cœlo verò turbato aut pluvioso, in loco sicco & calido reserva, donec pulsis nubibus serenitas demum affulserit, cui demum eam expones.

Accidit nonnunqvam, ut opus hoc, mensibus ferè duobus, aut citius, aliqvando post annum, juxta temporum constitutionem absolvatur.

Cæterum signa perfectionis operis hæc sunt: limosa materia in fundo in altum contumescit, spiritus & cuticula indies decrescunt, totaq; materia demum inspissatur, in vitro verò à reflexione solis subtiles nascuntur exhalationes,

& veluti

& veluti nebulæ, plantæ excrescentis, veluti prima qvædam rudimenta, sed debilis adhuc & sine calore, & ad formam solum telæ aranearum ascendentis nunc, modo descendentis, pro radiî solaris phialam ferientis efficaica.

Tandem ex tota illa in fundo subsistente materia spirituosa cinis fit albo-cæruleus, & tum successu temporis caulis, herba & flores producuntur in forma & specie seminis, qvæ species præsente calore comparet, eodem absente evanescens in chaos suum revertitur; sed qvoties ignem applicaveris, toties calore suscitante materiam, plantæ formam exhibebit, durabitq; hac ratione, si vas bene obturatum fuerit perpetuo.

EXAMEN.

Verum enim verò (1.) hæc nihil aliud probant, qvàm *plantarum ex seminibus productionẽ*, non verò earundem *ex cinere resuscitationem*, de qvâ tamen disputatur. (2.) Deinde docent hæc, *Chymiam activa principia passivis applicare* posse, ut generatio

ratio inde seqvatur; sed nec hoc negatur, aut in dubium vocatur. (3.) Porro ea ipsa *planta*, qvæ *ex semine* excitatur, non est *ea*, *qvæ periit*, sed *alia numero diversa*. (4.) Qvanqvam adhuc sub judice lis sit, an *vera* sit illa *planta*, qvæ *hoc modo* producitur. *Evanescentia* enim ejusdem, *remoto calore*, non parum eam reddit suspectam.

EXPERIMENTUM II.

POLONI CUJUSDAM MEDICI.

Narrat *Gafarellus* ap. *Joh. Chryfost. Magnen.* in Democrit Rediv. Disp. 2. c. 2. prop. 19. p. 183. oculatosq; testes appellat suo nomine viros graves & suæ domui satis notos, qvi in Poloni Medici musæo phialas complures viderunt, in qvarum fundo pulveres ex arte præparati florum animas in cineribus conservabant, vivebantq; veluti suis in urnis. Spectaculum hospitibus gratum exhibiturus doctissimus ille chymicus, accensam candelam detentæ in aëre phialæ, qvâ *rosæ* cineres præparati asserva-

ſervabantur, certâ diſtantiâ ſupponit; vix calor ſeſe in vitrum inſinuaverat, cum ecce tibi moveri corpuſculorum pulverisqve populos, cinerem illum leniter agitari, dum tandem poſt horæ ferè intervallum totus ille pulvis collectò calore in media phialæ areâ ſuspenſus, variis deinceps confuſisq; motibus undiqvaq; cieri cœpit (ſicut dum apes alvearia mutantes in aëris medio in nubem coactæ, confuſo volatu hinc & inde per ſua caſtra volitant) tandem variis agitationibus, qvaſi ſeſe atomi ad unionem qværitarent, paulatim in roſam perfectiſſimam corpuſcula illa coaluerunt, cui neq; in foliis ordo, neq; color, neq; meditullium croceum deeſſe videbatur: ſed ſpectaculum remota candela ſtatim deſiit, recidentibus ad phialæ fundum atomis, qvæ caloris vi in aêre detinebantur, ut qvotidie radiorum ſolarium beneficio feſtucis pulveriqve contingit; & unaqvæq; qvem in roſâ nondum diſſoluta locum occupa-

verat, eundem in artificiosâ hujuscemodi restitutione obtinebat; non secus ac subtilissimus hujus seculi Philosophus Cabæus post Gilbert. l. 1. c. 18. in Philosophia magnetica refert, qvod si avelleretur à suo loco terræ globus, non modò in eundem recideret, verùm etiam pars Septentrioni respondens sese ad illum converteret, servarentq; cæteræ partes eosdem, qvos habent cum sole aspectus; ita & minimum unum, qvod meditullium in rosaria efformabat, in phiala suum repetit locum, neq; foliorum texturam subit, & omnem motus rationem experiundo sua in sede constitit, ut ait *Lucret. l. 1.*

Omne genus motus & cœtus experiundo
Tandem deveniunt in tales dispositur as.

EXAMEN.

Hoc experimentum *Freitagius in Noctibus Medicis* fabulosum appellat. *Qvercetanus*

cetanus autem, magni nominis, Gallorum Regis Consiliarius & Medicus, eam à se visam refert *in defens. contr. Anonymum c. 23.* Qvicqvid sit, hoc certum est, qvod parum inde *Resurrectio plantarum* stabiliri possit. Nam spectaculum illud nil nisi *speciem ac imaginem rosæ* exhibuit. Jam verò non de *imagine, sed re ipsa* controvertitur: utrum videlicet *planta vera, realis ac physica ex suo cinere resurgere possit?* Id qvod hoc experimento nondum probatum.

EXPERIMENTUM III. PARACELSI.

Paracelsus l. 6. de Nat. rer. ex ligni combusti cineribus plantam excitari posse, asserit his verbis: Resuscitatio *inqvit*, & restauratio ligni est admodùm difficilis & ardua, attamen naturæ possibilis, sed sine insigni solertia & industria fieri neqvit, ut autem revivificetur, tali modo maximè fit:

MODUS

Recipe lignum, qvod primò fuerit carbo, postea cinis, & pone in cucurbita unà cum resina, liqvore & oleitate illius arboris, omnium idem fit pondus, misceantur, & in leni calore liqvefiant, & fiet mucilaginosa materia, atq; ita habes tria principia, ex qvibus nascuntur omnia, omnia generantur, nempe phlegma, pingvedinem, & cinerem; phlegma est Mercurius, pinguedo est sulphur, cinis est sal; nam omne qvod in igne fumat & evaporat, est Mercurius; qvod flagrat & comburitur, est sulphur; & omnis cinis est sal. Cum jam hæc tria principia simul habes, pone ea in ventre eqvino & putrefac ad suum tempus: si postea illa materia in pingve solum sepeliatur & infundatur, videbis eam reviviscere & arborem & lignum parvum inde nasci, virtute priori nobilius.

EXAMEN.

Satis qvidem speciosè hæc à *Paracelso* dicuntur; sed an natura qvoq; modum illum

illum admittat, nondum demonstratum est. Unde meritò *dubitandum* hoc de experimento, donec experientia rem planam fecerit. Interim posito, *plantam* qvandam hoc modo à *Paracelso* fuisse excitatam, *resurrectio* tamen *vera* non fuit, sed *generatio.* In liqvore enim & *oleositate arboris*, qvam cum cinere misceri jubet *Paracelsus*, latere potest *anima* ipsius *plantæ*. Hæc autem inveniens materiam, antea solutam qvidem, sed posteà beneficio Principiorum Chymicorum compactam, non *otiosa* est, sed maximè *operosa*. Hinc ex eà domicilium sibi fabricat ad edendas suas actiones idoneum. *Planta* itaqve hoc modo resurgens, non *ea est, qvæ in cinerem versa; Sed cujus anima, beneficio olei, cineri fuit communicata.*

EXPERIMENTA ALIA VARIORUM.

Qvercetanus *l. c. refert de* Medico Cracoviensi, *qvod pulverem habuerit ex plantæ cujusvis partibus, ultra 30. vitris contentum, admotâ lucernâ plantam omnibus partibus absolutam succrescentem, exhibentem.* Dn. de Linga *vidit Parisiis:* peregrinum

in vasibus sigillatis Rosa, Tulipa &c. aquâ semiplenâ resuscitationes quinq; assium pretio, admoto igne ostendisse Borell. c. 3. Obs. 71. p. 253. *pariter ut* Cornarius Archiater Brandenb. Culmbachi 1608. *cum mense aquam quandam destillasset & asservasset, mense Novembri in vitri ejus fundo plantula succrevit, quam depinxit* Libav. Syntagm. Arcan. l. 1. c. 22. *Testem oculatum* Stephan. Bressiæum Medic: Chymicum Gratianopolitanum *adducit* Borell. *Cent.* 2. *obs.* 21. *p.* 123. *qui è planta principiis separatis plantam vidit, à quâ educta fuerat, in liquore quodam realiter productam intra parvum tempus sine mora. Plantam instar Juniperi in phialâ productam, quam* Dn. Barlet. *dono dederit* Dn. de la Noue *Medico Monspeliensi, idem* Bor. cent. 4. obs. 62. p. 328. *conspexit, & festivissimo spectaculo in Holsatia ap* Ducem FRIDERICUM *in ejus laboratorio, ex tartaro productas* uvas *variaeq; magnitudinis* botros *non peregrino aliquo fermento, sed illo ipso, quod erat*

ex Tar-

ex Tartaro, qvod *deinceps multoties cum jucundissimo successu alibi tentatum*, Joh. Tackius Med. D. & Prof. Eloq. Gleosæ l. c. Dn. Joh. Jacob Wenceslaus Dobbercensky de Negroponte, *loco allegato*, *testatur*, *se observasse* flosculorum *diversorum veram*, *& non imaginariam intra phialas vitreas productionem ex liqvidâ qvadam & qvasi uliginosâ materiâ intra phialas hermeticè clausas contenta, qvæ adhibito calore ilico erecta, in formam plantarum foliis & floribus onustarum.* Petrus Servius Urbani VIII. Pont. Medicus, *conspexit* Rosam, *ex cineribus ustis solerti & ingenioso artificio excultis & elaboratis 24. horis natam, adultam perfectamq;*, in Tr. de Nat. & Art. miraculis. Vid. Sachsius in Gamm. p. 244. & seqq. *nec non* Kergerus de Ferment. Sect. 1. c. 6. p. 50. *qvi seqventia addit*: Raphani concisi & *terræ commissi, raphanos producunt.*, Rattray adit. ad Sympath. & antipath. p. 54. Oleæ siccæ *lignum iterum germinasse*, *referunt* Theophrastus,

phrastus, Scaliger *& alii*; Lectum ligneum *terrâ defossum germinare potuisse*, Aristoteles *asserit*, Sperling. ph. l. 1. c. 3. ad præc. 7. p. 81. *Norunt omnes agricolæ: qvod ex suillo stercore*, Sonchus, Saudistel, *generentur in vineis, hortis & agris: familiare autem alimentum est sonchus suibus.* Sennert. Hypomn. 5. c. 7. Es gibt Vögel auff der Insul Damma und Banda / die man Nüßesser heisset / welche die Mußcatnüß sampt den Blumen fressen / und wenn sie es von sich durchgehen lassen / und solches excrementum auff die trockene Erde fället / so wächset ein Mußcatbaum daraus. Johann Jacob Saars Ost-Indianische Krieges-Dienst. c. 3. fol. 4. *Hoc est, qvod docet* Aristoteles 3. de Gen. Animal. c. 3. *etiam in excrementis posse principium vitale inesse. In Museo* Cassiani à Puteo Eqvitis Romani *vidi herbæ iconem* ex corpore Hispani *cujusdam enatæ, Historiam recenset* Fortun. Licetus *de spont. viv. ortu*, spinæ in corpore germinan-

minantis. *Inhæserat nempe spina corpori transeuntis, deinde cum corpore nutrita fuerat. Narravit mihi Leidæ amicus*, ex collo *mulieris excrevisse* fruticem. Corallium *rubrum* ex cranio humano *propullulans in* Museo Pisano *vidi, inqvit* Barthol. hist. anat. Cent. 2. h. 20. p. 205. 206. *Ex occulto seminio hujusmodi ex animalibus vegetabilia emergunt, sicut* plantæ *plures in* muris, hedera in cornu cervi apud Scaligerum, visci in montibus *nascuntur*, Idem l. 1. *Visus est in Hispania Pastor ætate nostrâ*, qvi rubum floribus coronatum in abdomine *suo natum ostendebat. Vidi* apem *unam qvasi serto flosculorum coronatam, adeò ut ejus oculi, & os, serto illo flavo tegerentur, & nesciret, qvò tenderet, hanc accepi & vidi, herbulam qvasi semper vivum minus, cum duodecim caudiculis è cranio apis ortum duxisse: hanc adhuc servo, ut increduli convincantur; id forsan actum fuit, qvod semper floribus nutriantur.* D. Joh. Solegrius Botanicus *vidit veterem*

terem carpionem, *è cujus cute capitis* muscus *sine terra ulla prodibat copiose satisq; longus. Vide & cætera, quæ habet* Borellus Cent. 1. Obs. 11. p. 14. 15. 16. 17. 18. Dn. de Hardi Senator Parisiensis *ostendit mihi* nucis figuram *rudem, formatam sponte sua in oleo nucum coagulato in patellæ fundo.* l. c. Cent. 3. obs. 71. p. 253. *ubi plura. In conditura fructus (ribium) sacchаro confecta, vidi multas figuras tanquam è saccharo sponte conflatas, folia ejus arboris optimè referentes* l. c. in append. p. 279. *Pomorum succus congelatus mali figuram exhibuit. In aceto viridi æris impregnato* Bressius *folia vitis stratum super stratum invenit, eaque viridia & quasi è vite. Alter in clystere congelato folia multarum plantarum observavit.* Borell. cent. 4. obs. 62. p. 326. 327.

EXAMEN.

Sed neq; in his aliqvid solidi reperitur. Omnes enim hæ *plantæ*, qvæ dicuntur *resuscitatæ*; aut *speciem* saltim præbu-

præbuerunt verarum rerum, & ſic Reſurrectionem probare non poſſunt; aut ſi *veræ* fuerunt, ortum ſuum traxerê ex *principio ſeminali* deliteſcente in cineribus, adeoq; *generatæ* fuerunt à *natura*, cui ſuppetias tulit *ars Chymica*. In ſpecie verò qvod concernit experimenta *Kergeri*, ex variis auctoribus collecta, tenendum, qvod ea prorſus fruſtranea, & aliena ſint, nihilq; ad rem conferant.

Nam (1.) *Raphani inciſi* & *terræ commiſſi* poſteaq; alios producentes, nihil aliud probant, qvàm *plantarum ex ſemine productionem*, vel *animarum materialium diviſionem*, minimè verò *vegetabilium reſuſcitationem ex cineribus*.

(2.) Sic etiam *oleæ ſiccæ germinatio reſurrectionem* non confirmat, ſed *emerſionem* ſaltim *latentium formarum* adſtruit. Verùm qvoniam hoc cum grano ſalis accipiendam eſt, ideo nonnulla eâ de re notabo. *Fortun. Licet. l. 3. de his, qvi diu ſine alimentis vivunt, cap. 7.* docet, ſtirpes è terrâ evulſas, vel à radicibus ſuis & truncis avulſas, non ſtatim emori, ſed ſaltim deſtitutas loco idoneo, è qvo alimentum trahunt, non augeri, & folia, frondes, ac fructus generare;

rare desinere; interim eam ipsam animam corpus illud vegetare: sicut semina, qvæ tempore hiberno asservantur, nullum aliud animæ præsentis indicium edunt, nisi qvod anima illa corpus vegetet; unde & semen illud sationi aptum est, ac vires suas in usu Medico habet: Ubi vero amplius non animatur, sed corrumpitur, & sationi aptum non est, & vires omnes amittit. Sic *si simpliciter*, inqvit, *siccum fuerit oleæ lignum, jam non amplius vivet; cum vita consistat in humido, & ariditas, Aristotele Doctore, fit plantarum obitus; sed erit oleæ cadaver, in qvo cum caloris aliqvo gradu, ac prioris temperaturæ aliqvo vestigio, si adhuc in vase contineatur anima lignum non amplius vivificans, ubi defossum lignum ab ambiente acqvisiverit debitum vitæ calorem, priorisq; temperamentum simile, tunc aptum efficitur, cui rursum anima sese proferat in formam novæ oleæ constitutricem: sin autem non exactè siccum extiterit, sed vivat veteris oleæ lignum, id ex se pullulabit, & fundet oleam non spontaneâ generatione.* Adduxit autem illum in eam sententiam, illud præcipuè, qvod ligna etiam multos annos integra manent & vires suas conservant. Qvin &, qvod mirum, rursum germi-

germinasse, & iterum actu secundo priores animæ operationes exseruisse, observatum est. De qvo *Virgil. 2. Georgic.*

Nil radicis egent, aliæ summumq; putator
Haud dubitat terræ referens mandare cacumen;
Qvin & caudicibus sectis (mirabile dictu)
Truditur è sicco radix oleagina ligno.

Qvem versum etsi nonnulli de *insitione* interpretantur: tamen id contra mentem *Virgilij* fit, qvi seqvente versu de *insitione* agit. Rectè verò Servius: *Fit*, inqviens, *qvod nunc dicit, de oliva & myrto, qvarum sicci stipites secantur usq; ad medullam, & terræ infossi ex se arbores exserunt, qvod sine dubio mirum est.* Docuit idem *Theophrastus, l. 5. de causs. plant. cap.* 4. qvi naturali modo oleagina arida ligna iterum germinasse scribit. *Nam & ligna*, ait, *qvæ sponte germen emittunt, ceu oleaginea, & qvicqvid generis ejusdem, qvæ ad prodigia ostentaq; referunt, ratione non carent. Sunt enim naturâ vivacia, pronaq; ad germen fun-*

dendum suæ densitatis, humiditatisq; causa, qvod, cum extrinsecus liqvoris aliqvid senserint, qvam primum germina edunt, enim verò magna ex parte obruta, & locis humidis posita germinant, præterqvam si qvid præcisum paulo post pullulavit, qvod humorem in se aggregatum satis haberet, tempusq; una germinandi proximum esset, cui simile qvodammodo scillæ evenit, ac cæteris, qvæ suspensa germen emittunt. Et. idem, *5. de his plant c. 10.* scribit, materiam oleagineam imprimis germen producere, cùm rudem, tum laboratam in opus, si qvem humorem sentiat, locumq; habeat humectatum, ut jam cardo qvidam valvæ germinasse prodatur, & poculum limo injectum. Ita
NB CLAVAM HERCULIS, qvæ ex *oleastro* fuit, *germinasse*, autores fide digni referunt. Sic *Fortunius Licetus* etiam *loco allegato* testatur, se vidisse Rechi, in horto patrui sui, Bartholomæi Liceti, *stipitem oleæ sativæ aridum* ferè, ac levem per decennium, & ultra à trunco separatum, neqve posthac unqvam terræ implantatum, ad alterius ligni fulcrum, juxta puteum in terram demissum, & ligno, cui fulcimentum præstabat, clavis ferreis affixum pullulasse, germinasseq; eodem anno plures olivarum novellas, foliis &

fructibus

fructibus onustas, atq; imposterum etiam ad plures annos protulisse. Confirmat idem *Joh. Ludovicus de la Cerda, qvi in Comment. ad versum illum Virgil. p. 271.* ita differit: *Testes sunt oculi scientissimorum agricolarum, à qvibus id qvæsivi: testis ars ipsa, qvæ nunc qvoq; in Hispania, ubi ago, summè viget. Secant agricolæ, scinduntq; in partes plurimas caudicem olivæ, cui amputata radix, cui amputati rami: ita confectum infodiunt, & inde se format radix, & mox arbor, qvod Poëta stupet; qvia verè mirum.*

Non tamen solum lignum oleagineum iterum germinasse, sed & alia, observatum. NB ROMULI HASTAM ex *orno*, novis radicibus actis denuò propullulasse, refert *Plutarch. in vit. Romul.* nec non *Ovidius l. 1. Metamorph.* his versibus:

Utq; palatinis hærentem collibus olim,
Qvum subito vidit frondescere Romulus hastam,
Qvæ radice novâ, non ferro stabat adacto:

Et jam

Et jam non telam, sed lenti viminis arbor,
Non expectatas dabat admirantibus umbras.

Et Jul. Cæs. Scalig. in Theophrast. de Causs. plant. lib. 5. c. 1. scribit, qvod *Salignas Virgas* abjectas, ac ne defixas qvidem, viderit germinare, qvin ingentem populi truncum longo post tempore. Vide *Sennertum Hypomn. 5. c. 7. p. 439. & seqq.* ubi hæc & plura alia deprehendes.

Qvoniam itaq; hæc ita sese habent, ideò *qvâ ratione* fieri potuerit & possit, *ut oleæ sicca lignum iterum germinaverit*, paucis inqvirendum. Hoc autem etsi invenire *difficile*, qvia tamen id non *miraculosum* est, sed *naturale*, meam sentententiam, qvæ *Sennerti* etiam est, proponam. Primò autem hoc tenendum, non unum esse propagationis plantarum modum. Etenim plantæ non omnes per semen certo modo formatum & uni particulæ inclusum propagantur; sed succus ille seminale principium in se continens in multis per totam plantam diffusus est, ita ut per surculum avulsum vel radicem abscissam etiam planta propagari, & sese multi-

multiplicare possit; atq; hoc modo vis seminalis, seu à semine propriè dicto, seu à radice, seu qvocunq; modo à planta ejusdem speciei communicata, diu sæpe insensibiliter latere potest. *Acanthi* seminalem vim hoc modo occultam in terrâ latuisse octo annis, refert *Jul. Cæs. Scaliger exerc. 140. In hortulo*, inqviens, *qvi hæret Bibliothecæ, Acanthum sevimus, ac diu servavimus diligenter. Radicitus extirpatum putabam à furibus pharmacariis, qvibus omnia pervia sunt. Amplius octo annos haud comparuit. Prope ejus locum depacta est oxyacantha. Locus ipse ligonibus atq; marris subactus, agitatus recepit semen Hippolapathi, qvem Raved falsò putant. Crevit: aream implevit, evulsum est. Me ægrotante totum triennium pars illa ab omni opere vacua atq; otiosa fuit. Hoc anno comperi, Acanthi illius redivivas reliqvias, binas, pulcherrimis nitidissimisq; foliis, stipite tum magnitudine, tum flore luculento.* Itaq; ut in tritico, hordeo, avenâ, & aliis plantis emortuis semen in stramine suis thecis inclusum salvum manere potest: ita etiam succus ille, seminale principium continens, per totam plantam diffusus, in qvibusdam plantis, qvæ etiam mortuæ & exsiccatæ videntur,

 aliqvan-

aliqvandiu alicubi durare poteſt. Sicut tamen non qvis recte dixerit, exſiccatam jam avenam vel triticum vivere, etſi in ſiccis ariſtis ſemen vivum contineat: ita etiam dicendum non eſt, lignum illud vivere, ſed ſaltim [illegible] ſe principium ſeminale continere. Paucæ tamen plantæ, ſemel exſiccatæ, priſtinam illam ſeminalem diſpoſitionem, qvæ ad actum ſecundum exercendum neceſſaria fuit, recuperant. In olea id aliqvando fieri obſervatum eſt, utpote qvæ pingvi illo & balſamico humore præ cæteris abundat. Idem etiam in orno & populo accidiſſe, antea dictum. Vide *Sennertum l. c.*

Sed qvò prolabor? eò revertor, unde hæc declinavit diſſertatio, & dico (3.) *verum* qvidem eſſe, qvod de ſonchis *Kergerus* ſcribit; *falſam* autem ejus rei *explicationem* atq; *applicationem* inſtitui. Nam Diſtingvendum inter *plantarum reſuſcitationem*, & *formarum accidentariarum emerſionem.* Non *illam*, ſed *hanc* probat *ſonchorum productio.* Eam enim ob cauſam è ſtercore ſuillo proveniunt, qvia à ſuibus devorati cardui ſuum retinuere ſemen, qvod cum ſtercore excretum aliam produxit plantam.

(4.) Atq;

(4.) Atq; hoc ipsum dicendum etiam de *avibus*, ex qvarum excremento *nuces myristica* nasci dicuntur.

(5.) *Falsum* autem est, qvod cum *Aristotele* pro *vero* venditat *Kergerus*, *principium* scilicet *vitale* in *excrementis* esse. Distingvendum enim inter *excrementa ipsa*, & inter *semina in iis contenta*. His, non illis inest vitale qvoddam principium.

(6.) *Plantæ* illæ, (non EX, sed) *IN animalibus natæ, minimè* probant *vegetabilium resurrectionem*; sed vel *formarum accidentariarum subordinatarumq; emersionem*, vel *seminum circa animalium corpora adhæsionem.* Hoc autem ut melius intelligatur, paulisper digrediar & hanc qvæstionem ventilabo: *Utrum ex animalibus eorumve cadaveribus plantæ nasci possint, nec ne?* Qvi affirmant, I. ex *Aristotele* lib. 9. de hist. an. & *Theophrast.* 2. de causs. Plant. c. 23. referunt, captum esse *cervum*, *hederam* in suis enatam *cornibus* gerentem viridem. II. Dicunt, ex *testaceis* & *balenis ossibusq;* humanis nasci *muscum*. III. *Ex Cornibus arietis asparagos* oriri. IV. *Corallium ex cranio humano* productum fuisse. V. ex

 lapis

lapidibus nasci *plantas*; Ergò multò magis ex animalibus. VI. Ex *cadaveribus* nasci *animalia*; Ergò etiam possibile esse, ex iisdem generari plantas.

Verùm obstat huic asserto *generatio univoca*, qvâ omne, qvicqvid generatur, à *simili* producitur, beneficio *seminis*. Jam autem *similia* non sunt *planta & animal*, vel, *lapis & planta*. Qvomodo igitur sive lapis sive animal plantam generare potest? *Generatione* qvidem *aeqvivocâ* hoc forsan negotium expediri posset. At hæc jam dudum è pomeriis Physicæ eliminata est. Repeto, qvæ *Sperlingius* contra hoc figmentum produxit argumenta:/ I. *Qvæcunq; sententia effectui particulari caussam universalem & remotam saltim tribuit, ea stare neqvit. Sententia de generatione Æqvivoca effectui particulari caussam universalem & remotam saltim tribuit; Ergo stare neqvit.* Major extra controversiam est: qvia determinatus effectus determinatam postulat caussam. Minor probatur, qvia sol & reliqvæ stellæ in ordine ad corpora naturalia producenda se indifferenter habent, & non magis ranam aut murem, qvàm hominem aut eqvum generant. II. *Qvicqvid animâ & vitâ caret, animam & vitam*

tam producere neqvit. Cœlum animâ & vitâ caret. Ergo cœlum animam & vitam producere neqvit. Major probatur, qvia omne vivens præstantius est non vivente, animatum inanimato. At effectus sua causa nobilior non est. Minor probatione non indiget..

Interim ad argumenta, superius allata, respondeo I. *Hederam* illam, *cornu adhuc tenello* forte insertam, qvasi ligno viridi coaluisse. Qvod & *Plinius lib. 5. c. 32.* confirmat, nec non *Jul. Cæs. Scaliger*, qvi *Comment. in Theophr.* scribit, in eruptione cornuum affricatu hederæ cervum abrupisse nonnihil cum radicula, qvæ aliqvam in partem molliorem sese induerit. II. In dorso *testaceorum & balænarum* muscosæ herbæ nascuntur ex *limo & sordibus maris*, dorso piscium horum adhærentibus, qvæ in se *semina* vel rudimenta seminalia musci & plantarum aliarum continent. III. E *cornibus arietis* nasci *asparagos*, vetus qvidem est, sed proculdubio *fabulosum*; neq; experientia id comprobat. IV. Referunt qvidem, in mari *ex cranio humano corallium* ortum fuisse. Verùm qvod ex *ipsa cranii humani substantiâ* provenerit, impossibile est; Forsan in mari

materia, primordia corallij in se habens, cranio tenaciter adhæsit, è qvâ postea *corallia* producta. V. Nec ex *ipsa lapidis substantiâ* nascuntur *plantæ*, sed ex *semine lapidi adhærente*. VI. Dist. inter *continens*, & *contentum*: inter *ipsam cadaverum substantiam*, & *seminalem materiam*: inter *materiam in qvâ*, & *ex qva*. Generantur vermes non *ex* cadaveribus, sed *in* iisdem; non ex *carne putrescente*, sed ex *semine illi inhærente*.

Ex his itaq; patet, falsum esse illud dogma, qvod statuit, *plantas ex animalibus nasci*. Patet etiam, *Kergerum* frustraneam in experimentis hisce allegandis adhibuisse operam, ac ficulnea prorsus pro *resurrectione plantarum* stabiliendâ produxisse argumenta. Qvæ longius qvidem prosеqverer, nisi jam ex antecedentibus ea resolvi posse, certus essem. Interim *coronidis loco*, addam

EXPERIMENTUM INAUDITUM,
factum à
NICOLAO FRANCIMONTIO,
Proto-Medico Pragensi.

Recipe olei vitrioli per repetitam rectificationem dealbati, partem

tem unam, ſpiritus vini optimi per tartarum album rectificati part. 2. vel 3. miſce, & diſtillentur ex cucurbita in arena poſita, igne fortiori, applicato Recipiente capaciſſimo. Inter diſtillandum prodiit fumus per Recipiens oberrans, infra qvem Spiritus craſſitudine, carpi, figurâ colubri viventis, tincti colore ex albo griſeo variegato in gyros & flexus multiplices pro acceſſu Spiritus ex cucurbita in Recipiente ſeſe torqventis, qvi minimùm duabus horis apparuit, ac tandem in ſpiritum urentiſſimum reſolutus fuit. Ni ratio ſuſpendiſſet judicium, juraſſem vivum eſſe. Horum fui ſpectator


NICOLAUS FRANCIMONT.
Med. D. & ejusdem Practicæ
Profeſſor Pragæ.

JUDICIUM KIRCHERI.

Eqvidem fateor, me non parum ad bujusmodi caſum obſtupuiſſe; verùm cum jam variâ ſimilium rerum experientiâ edoctus rem penitus conſi-

deraſſem

derassem, hac unica mihi subvenit prodigiosi hujus effectus caussa; uti enim seminia rerum omnibus inesse in præcedentibus (Mund. Subterran.) *docuimus, ita qvoq; verisimile est, fuisse sive vitriolo, sive vino per tartarum rectificato nonnullum serpentis seminium, qvod deinde calore ignis excitatum, plastica virtutis beneficio, salibus per magnetismum qvendam junctum, in serpentis formam redegerit, haud secus ac in serpentibus per similia experimenta fieri posse ostendemus. Si verò qvispiam hujus rei experimentum juxta præscriptam* ἐγχείρησιν *facere velit, is utiq; frustra laborabit, cùm seminium rerum non semper omnibus & singulis hujusmodi ingredientibus insit. Unde casu hoc experimentum effectum suum sortitum esse censeo, ex seminio alicujus colubri, huic vel illi speciei tunc inexistentis.*



CAPUT III.

DE CANTIONE CYCNEA.

AN CYCNUS SUAVITER CANTET, ET PRÆPRIMIS, CUM MORTI EST VICINUS?

Neg.

SECTIO I.

ΠΡΟΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Recensens Auctorum opiniones.

§. 1.

C*Ycnum*, imprimis *morti vicinum*, *suaviter cantare*, asserunt *Poëtæ* celeberrimi, tam *Græci*, qvam *Latini*. Sic *Homerus*:

——Κύκνος ὑπὸ πτερύγων λίγ' ἀείδει,
Ὄχθῃ ἐπιθρώσκων ποταμὸν παρὰ δινήεντα.

 Euripid.

Euripid. Iph. Taur.

Ενθα κύκνος μελῳδὸς Μούσας θεραπεύει.

Callimach. Hymn. in Apollinem:

Θεοῦ μέλποντες ἀοιδοί. Item:

Μουσάων ὄρνιθες ἀοιδότατοι πετεηνῶν.

Ita etiam canunt: *Theocritus* Syracusanus Idyll. 19. *Oppianus* Poëta Cilix libr. 2. de Venat. *Aristophanes*, elegantiarum Atticarum promus condus, in Avibus; aliiq;. Qvos seqvuntur *Virgil.* l. 11. Æneid.

-------- Et longa canoros
Dant per colla modos liqvida inter nubila cycni.

Ovidius Meta. 14.

Carmina jam moriens canit exeqvialia Cycnus.

It. in Epist.

Sic ubi fata vocant, udis abjectus in herbis
Ad vada Mæandri concinit albus olor.

Et lib. 3. de Trist. Eleg. 1.

Utq; jacens ripâ deflere Caystrius ales
Dicitur ore suam deficiente necem.

Horat. lib. 4. Od. 3.

O mutis qvoq; piscibus
Donatura cycni, si libeat, sonum.

Seneca

Seneca in Hippolyto:

Candidas ales modò movit alas,
Dulcior vocem moriente cycno.

Lucretius:

Cum tuba depresso graviter sub murmure mugit,
Et gelida cycni nece torti ex antro Heliconis,
Cum liqvidam tollunt lugubri voce qverelam.

Statius lib. 3. Sylv.

Qvalia nec Siculæ moderantur carmina rupes
Nec fati jam certus olor, sæviq; maritæ
Thereos ------ ------

Et alibi:

Non ego qvas fati certus sibi voce canorâ
Inferias promittit olor.

Hieron. Vida in Hymn. Od. 3.

Hoc est olorum, dulcius ut canant
Gyberte semper, qvos senium premit,
Illisq; solis est senectus
Usq; adeò potior juventa.

Martialis lib. 13. 77.

Cantator cycnus funeris ipse sui.

Pertinent huc etiam varia *cycni* epitheta, qvæ à Poëtis ipsi tribuuntur. Sic Virgilius

Virgilius cycnum à cantu vocat *argutum*: Faustus Petrarcha, *Musicum*: Torqvatus, *vocalem*: Ælius Julius Crottus, Pontanus, *modulantem*: Baptista Mantuanus *fata canentem*: Titus Vespasianus Stroza, *cantantem* &c.

§. II. Neq; verò tantùm *Poëtarum* gens, qvæ aliàs qvidlibet audendi potestatem sibi vendicat, svavi hàcce, de *svavi cycnorum cantu*, imbuta fuit *fabella*; sed multi etiam *Philosophorum* eam, ceu veram, amplexi sunt. Ipse *Aristoteles*, cui principatum in Philosophia vulgus defert, hæc, qvæ liberaliter nimis ex aliis hauserat, de cycnis refert: ᾠδικοὶ δὲ καὶ περὶ τὰς τελευτὰς μάλιστα ᾄδουσιν: *Cantores verò sunt, & sub mortem potissimum canunt.* Addit, *à qvibusdam*, *Africam præternavigantibus multos inventos* ᾄδοντας φωνῇ γοώδει, *canentes voce lugubri*, lib. 9. Hist. Animal. cap. 12. sive, ex distinct. Scalig. cap. 16. sect. 162. Idem ante ipsum docuit *Plato in Phædone*, qvi: *cycnos*, ait, *cantare non ex tristitiâ, sed potius lætitiâ, appropinqvante fato, qvod immortales se sentiant, & ad Apollinem suum remigraturos.* Apollini enim sacros fuisse, ob vaticinium mortis

Cicero

Cicero auctor eſt. Qvi alibi qvoq; præfans in lib. de Orat. 3. de L. Craſſo ita loqvitur: *Illa tanqvam cycnea fuit divina hominis vox, & oratio, qvam qvaſi expectantes poſt ejus interitum veniebamus in curiam, ut veſtigium illud ipſum in qvo ille poſtremum inſtitiſſet, intueremur.* Et lib. 1. Tuſc. *Ut cycni*, inqvit, *prævidentes, qvid in morte boni ſit, cum cantu & voluptate moriuntur, ſic omnibus & bonis & doctis faciendum.*

§. III. His pollicem premunt *Apulejus* lib. 3. Florid. *Philoſtratus* lib. 3. vitæ Apollonii cap. 14. *Orus Apollo, & Pierius Valerianus* in Hieroglyph. *Iſidorus* lib. 12. cap. 6. inqviens: *Cycnus à canendo eſt appellatus, eò qvod carminis dulcedinem modulatis vocibus fundit.* Item *Albertus, Georgius Braun, D. Federicus Pendaſius*, ap. *Ulyſſ. Aldrovand.* Ornithol. lib. 19. p. 9. qvi & ipſe ὁμόψηφος eſt. Ut & *Antonius Muſa Braſavolus* in Comment. ad Porphyr. Iſagog. *Angelus Politianus* lib. 7. Epiſt. *Cardanus*. lib. 10. de Subtil. p. 601. his verbis: *Hoc genus avium tam laudatum diſcerpit ſuos, ac devorat, in morte verè dulce canit.*

§. IV. Immò nec *S. Patres* ab hac opinione alieni ſunt. Videatur *Nazianz.*

Orat.

Orat. 34. five 2. de Theologia p. 554. edit. Morellianæ, it. *Ambrofius* lib. 6. Hexaem. cap. 22.

§. V. Dubitanter verò fuam hâc de re exponit mentem *Ælianus*. Nam *lib. 1. Var. Hift.* Cycnos cantandi qvidem ftudiofos effe, communi fermone pervulgatum haberi fcribit; fe verò nunqvam, neq; fortaffis alium canere audiviffe: credi tamen canere, & tunc potiffimum eorum cantum putari fvaviffimum, & jucundiffimum, cum vitæ eorum permutatio præ foribus eft. Alibi verò auctoritate *Ariftotelis* confirmat, olorum gregem nonnunqvam in Africo apparere mari, & cantum tanqvam ex choro qvodam confonanti fvavem qvidem & lugubrem, & veluti ad mifericordiam inclinantem prænavigantibus præbere, & ab illa modulatione nonnullis vivos extinctos, *lib. 20. de Animal. c. 30.* Præterea *lib. 11. De Animal. cap. 1.* rurfus ex Hecatæo, non folum canere cycnos admittit, verùm etiam unà cùm citharœdis accinere, cum Hyperborei Apollinis feftum celebrant. Deniq;, in alio loco, canere eos, ait, fed non nifi flante zephyro. Atq; hæc de *affirmativâ* fententiâ.

§. VI. Svc-

§. VI. Succedit *negativa*, qvam defendunt: *Lucianus* in Electro, *Alexander Myndius* ap. Athenæum lib. 9. *Plinius* lib. 10. Hist. Nat. cap. 23. ubi hæc habentur: *Olorum morte narratur flebilis cantus; falsò* (aliàs *falsis*) *ut arbitror, aliqvot experimentis.* Ad qvæ ita *Franzius* H. A. part. 2. cap. 7. p. 378. *Plinius rectè deridet hoc cycni canticum, illudq; falsum esse probavit aliqvot experimentis.* Sic *Scaliger* qvoqve Exerc. 232. p. 728 ad Cardanum: **De cycni verò cantu suavissimo, qvem cum mendaciorum parente Græciâ jactare ausus es, ad Luciani tribunal, apud qvem aliqvid novi dicas, statuo te. Multitudo ingens ad Carantonum fluvium. Qvid dicam tibi? Anseres sunt.** Sit etiam cum *Scaligero* docet *B. Sperlingius* Zool. Physic. lib. 4. cap. 10. p. 355, item *Schottus* lib. IX. Phys. Curios. cap. 34. p. 1170. nec non *Georg. Casp. Kirchmajerus, Eloqvent. Prof. Publ. in Academi Witteb.* in Disput. Zoolog. 1. auctar. 5. Conf. *Bodinus* in Method. Histor. cap. 4. Atq; in horum sententiam *ego* qvoqve discedo.

SECTIO II.

ΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Explicans statum Controversiæ.

§. I.

DUàm sunt generum, qvæ expositionem hîc merentur, notabilia: alia *realia*, alia *nominalia*. Horum *prior*, istorum *potior* est habenda ratio. In *Nominalibus* occurrit I. Vox *Cycnus*, de qvo notabo (1) *Etymologiam*. Dicitur autem *Cycnus*, juxta nonnullos, teste *Varrino*, ἀπὸ τοῦ κυκνᾶν τὴν ἰλὺν, qvod *cœnum*, alimentum qværens, præ cæteris avibus aqvaticis *turbare* soleat. Alii παρὰ τοῦ κύκλου, à *terete collo* dictum volunt. Aliis *Cycnus* est, qvasi Κλύκος, à κλύω, qvòd à verbo Κλῶ, *vocem edo*, *clamo*, deducunt: est enim *avis clamosa*, sicut anseres qvoq;. *Isidorus* verò *cycnum* à *canendo*, appellatum scribit l. c.

§. II. (2.) *Homonymiam*. Sumitur enim (α) *Rhetoricè*, & qvidem vel μεταφορικῶς; qvo sensu denotat tum *icones cycnorum*, Valer. Flacc. l. 1. Argonaut. tum *senem*

senem Musicum, vid. Orus Apollo in Hieroglyph. tum *Poëtas*, Angelus Politianus lib. 7. Epist. Euripides in Tragœd. Lat. Pierius Valerian. Et in specie *Pindarum* ap. Horat. lib. 3. Carmin. nec non *Virgilium* ap. Jul. Cæs. Scalig. Pontanum & Ariostum &c. Tum *Oratores* apud Synesium Cyrenæum in Dione; tum *Philosophos*, immò qvoscunq; *literatos*, & *justos* viros apud Aldrovand. l. c. p. 15. Vel μετωνυμικῶς, per *Metonymiam Adjuncti pro subjecto*: atqve sic notat partim *navem* cycni effigiem gerentem, cujus apud *Athenæum* lib. 11. meminit *Nicostratus*; partim *librum* qvendam *Luciani*, qvi etiam de *Electro* inscribitur, qvo seipsum extenuat, adhibita similitudine fabulæ de Electro, Phaëthonte ac cycnis Eridani. (β) *Medicè*, pro *collyrio* qvodam, qvod recipit cadmiæ drachmas 12. cerussæ lotæ drachmas 2. gummi drachmas 12. amyli, tragacanthi, opii, acaciæ, singulorum drachm. 2. & ex aqva pluviali paratur. Vid. *Joh. Gvintherius Andernacus*; it. *Aëtius* serm. 3. tetrab. 2. Cap. 104. nec non *Alexander Trallianus* lib. 12. cap. 5. (γ) *Geographicè*, pro *oppido*, ad Heracleum flumen in *Colchide* ap. *Plinium* lib. 6. cap. 4. conf. *Strabo* Geogr. lib. 19. qvi alium etiam lo-

cum in *Asia* Κύκνον dici, auctor est. Immò in *Mecklenburgo* qvoq; oppidum aliqvod reperitur, duo milliaria à *Gustrovio* distans, qvod vulgus appellat Schwan / à *cycno*, sed ineptè! Nam habuit iste tractus *idolum* ante 500. annos & amplius, fœminei sexus, virgineo habitu, insistens saxeæ columnæ, nomine *SIWAN*, qvod usus vulgaris annorum postmodum absorbuit in *Swan*. Vid. *Thurius*, qvi ex antiqvis ruderibus hoc ipsum probat. (*d*) *Astronomicè*, pro *asterismo Septentrionali*, constante stellis 18. De qvo *Firmicus* lib. 8. cap. 7. *Qvicunq;*, inqviens, *hoc oriente sidere nati fuerint, metallorum inventores erunt, qvi latentes auri & argenti venas & cæterarum specierum, solertibus inqvisitionibus persequantur: hi qvoq; monetarij erunt.* Fingitur autem atq; pingitur ita in memoriam *cycni* illius, cujus specie Lædam compresserat *Juppiter*, de qvo *Manilius* lib. 4. c. 1. & *Pontanus* lib. 3. de stell. rubric. de Cycno (*e*) *Historicè*, pro *Cycno* Herculis filio, cui *Cycnea*, *Germaniæ urbs*, nomenclaturam atq; originem debet, referente *Joh. Garzonio Bononiensi* lib. 2. rer. Saxonis. Fuit etiam *Cycnus Dux Ligurum*, *teste*

teste Virgil. X. Æneid.
Non ego te Ligurum ductor fortissime bello
Transierim Cycne &c.
Vide Buchner. in Lex Fabr.
(ζ) *Mythologicè*, pro *Jove* in *cycnum* converso, cum Lædam vel Nemesin comprimeret, qvo de *Manil.* l. c. & *Pontan.* l. c. Vide etiam *Aldrov.* p. 17. seqq. (η) *Physicè* & qvidem *Zoologicè*, tum pro *bruto gressili.* Sic *eqvus* qvidam apud *Statium lib. 6. Thebaid.* hoc nomine venit;

--- --- Rapidum Daneius augur
Ascheton increpitat, meritumq; vocabula Cycnum
Aulit. --- --- --- ---

Tum pro *bruto volatili, drensante, & candido.* Atq; sic hoc loco consideratur.

§. III. (3.) *Synonymiam.* Sic *Græcorum* lingva Κύκνος dicitur, unde *Latinorum cycnus*, qvibus alias qvoq; *Olor* audit. Apud *Horatium* qvandoq; *ales albus*, qvandoq; *ales canorus* salutatur. *Ovidius* nominat *avem albam*, *volucrem flumineam*, *alitem Caystrium*; Virgilius *anserem Amyclaum*. Hispanicè *Cisne*, Gallice *Cyne*, Italice *Cigno*, item *lò cino* vocatur. Apud *Germanos* nomine Schwan venit. A *Saxonibus* & *Helvetiis* etiam Olb / Elbs / vel, ut

alii ſcribunt, Elps / Olbſch; ab Anglis Svvan; ab Illyricis *Labut* appellatur.

§. IV. II. Vocabulum *Cantio*, cujus ſaltim obſervabo (1) *Etymologiam*, ſecundum qvam dicitur à Cano, qvod *Martinius in Lex* deducit à קָנֶה hoc eſt, *calamo*, ut primum dicatur de cantu, qvi fit ſimpliciſſimo inſtrumento. Unde phraſes illæ veterum: *Meditari arundine muſam, calamos inflare, ludere agreſti calamo, terere calamo labellum*, Καλαμίζειν &c. Alii ab Hebr. עָנָה derivant, qvod inter alia qvoqve eſt *canere*.

§. V. (2) *Homonymiam*. Ubi tenendum, qvod *cantio* ſupponatur vel *propriè* vel *impropriè*. *Impropriè Carminum* qvoddam genus *Cantio*, Græcè Ὠδὴ dicitur, vel propter numerum concinnum, vel qvod olim arundine modularentur & canerent ſua Poëtæ carmina. *Propriè* iterum vel *latè* vel *ſtrictè* uſurpatur. *Latè* pro *qvalibet vocis aut ſoni inflexione*: Qvo ſenſu anſeres etiam, canes, immò campanas canere dixeris. *Strictè* verò *Cantio* eam notat, *qvâ vocem modulis certis tollimus aut premimus, certisq; temporibus producimus aut corripimus, atq;*

ita

ita suavem & concinnum sonum edimus. Qvæ ultima significatio hujus est loci. Tantum de *Nominalibus.*

§. VI. Ad *realia*, hîc notanda, præprimis referenda *Cycni descriptio* est, qvæ ipsius naturam qvodammodo declarat. Est autem *Cycnus avis drensans, candida, robusta, animosa, natatum magis, qvàm volatum amans. Formâ* anseri similis est, sed multò major. *Color* candidissimus, at pedes nigri. *Rostrum* latum & in extremitate obtusum est, serratum falcisq; in modum dentatum. *Albertus* in ultimis ætatis annis *dentes* habere asserit, qvod tamen ab alio nemine proditum est: immo verò *Plinius lib. 36. cap. 11.* Nulli volucrum dentes esse ait, prærerqvam *vespertilioni*, sed hunc avium gregi accensere nolo. Porrò *collum* cycni longissimum est, longissimæ *alarum* pennæ, *cauda* brevior. *Pennas* habet mollissimas, qvæ à mollibus in lectis expetuntur maximè. *Corpus* magnum est, & multâ carne præditum. *Vitam* ducit ancipitem, in *terris* pariter ac *aqvis* versans, magis tamen in his, qvàm *illis*: idq; non tantum *adqværendum sibi pabulum*; sed etiam *ut fulgura fulminaq;*, qvæ naturaliter horret, *fugiat.* Neq; tamen

 promiscuè

promiscuè *omnes aqvas* incolit, sed præprimis *stagna: tum* qvia hæc longè sunt *qvietiora*, & natatum non impediunt, veluti flumina, *Ælian. lib. 27. c. 24. Tum* qvia in stagnis major fortè suppetit *herbarum copia*, qvibus vescitur, item *luti*, qvod continuò rostro versat, uti *Albertus* existimavit. Qvò respexisse etiam videntur *Virgilius* lib. 2. Georg. *Hieron. Vida* lib. Scac. & *Jacob Sanazarius* libr. de part. Virg. *flumen*, qvo cycni aluntur, *herbosum* nuncupantes. Vide *Aldrovandum* l. cit. ubi plura.

§. VII. Atq; hic est ille ipse ales, cui jam multis abhinc seculis tam svavem auctores adscripsere cantum, ut cum Sirenibus etiam, qvæ tamen & ipsæ fabulosæ sunt, eum comparare non dubitarent. Putant autem pleriq;, qvod dulcem istam melodiam edat beneficio *arteriæ asperæ*, tubam bellicam exactissimè repræsentantis. Nam œsophagum subjectum comitata, ad jugulum descendens cum pervenit, non rectà, ut in cæteris animantibus, ad pulmones tendit, sed supra claviculas elevata in costam ossis pectoris, seu sterni inseritur. Ad hujus finem postea-

qvam

qvam pervenit arteria, inferne in se instar serpentis reflectitur, & literam S exprimit, moxq; sub priore jam dicta portione ipsi superpositâ hanc capsulam denuo egreditur, & claviculis mediis conscensis harum jugo tanqvam fulcro innititur: atq; ita sustentata denuò in morem tubæ revolvitur, thoracisq; cavum subiens, anteqvam ad pulmones fertur, prius qvasi laryngem alteram efformat. Sub hâc larynge arteria in duos canales divaricatur, qvorum singuli in medio ampliori capacitate protuberantes, rectà in pulmones distribuuntur. Duplex verò ille flexus, qvi ossis pectoris capsulæ primùm inseritur, & deinde alterâ revolutione in furculam inclinata, recumbens in pulmones decidit; ille, inqviunt, flexus ideò factus videtur, ut ne vox in tam longo arteriæ spatio evanesceret, neve prolixo adeò itinere fatisceret; sed in ipso revolutæ arteriæ angulo repercusso majori cum clangore erumperet, ac veluti moræ exiguæ in eo anfractu, qviete recreata eundo vires acqvireret. Vide *Aldrov.* l. c. p. 6. & 9.

§. VIII. Alii verò, aliter rem explicantes, ad *alas* concinnitatem soni referunt. Sic *Nazianzenus* Orat. 34. *Cycnos non canere gutture*, scribit, *sed tamen alis svave edere melos*, idq; ὅταν ἐκπετάσῃ τὸ πτερὸν ταῖς αὔραις, *qvando pennas in auras expandent*. Idem alibi etiam fatetur, dum *Epist. 1.* ait, τοῦ ζεφύρου τὰς πτέρυγας ἐμπνέοντος, ἡδύ τι καὶ ἐναρμόνιον ᾄδειν, *Zephyro alas inspirante svave qvid & concinnum canere.*

§. IX. Nec desunt, qvi causam, cur tam svave cycnus canat, eam esse fingunt, qvod in ipso *cor ex puritate sangvinis titillet, & per procera colla aër exeat.*

§. X. Porrò non omne tempus *cantioni cycneæ* convenire statuunt; sed illud tantum, *qvo Zephyrus spiret*, utpote qvi cycnum ad svaviorem vocem *occultâ* qvadam *vi* incitet, docente *Æliano* atq; *Philostrato*. Cum qvibus etiam facit *Oppianus* l. c. ***Diluculo***, inqviens, ***canunt ante solis ortum tanqvam in aere vacuo per id tempus audiendi clarius. Canunt etiam in maris littoribus, nisi tempestas & procellarum sonus dissvadeant,***

deant. Hoc enim vigente ne suis qvidem ipsi cantilenis satis perfrui possent. Sed ne in senecta qvidem morti vicinâ cantus obliviscuntur, qvi tamen eis in illa ætate remissior est, qvàm in juventâ, cum neq; cervicem amplius erigere, neq; pennas extendere qveant. Favonium tunc ad canendum observant, ignavi jam cruribus & membrorum viribus defecti: Moriturus secedit aliqvò, ubi nulla avis canentem audiat, nec olores alii luctuosè interpellent, si qvi forte adessent, qvi similem vitæ exitum sibi imminere intelligerent. Hæc *Oppianus*. *Adrovandus* verò pag. 9. qvovis tempore canorum qviddam, etsi lamentantium in morem, eos obstrepere, refert, seq; ipsum id non semel datâ operâ observasse ac auscultasse, testatur.

§. XI. Sed *distingvendum* hîc esse videtur inter *cycnorum drensationem*, & *cantionem*: inter *qvalemcunq; sonum* & *harmonicum cantum*. Concedo cum *Autore Philomelæ*, eos *drensare*, juxta versiculum:

Grus gruit, inq; glomis cycni prope
flumina drensant.

Concedo etiam, altum qvandoq; voci-

ferari, teste *Hesiodo:*

Κύκνοι ἀεροίποἶαι μεγαλ' ἤπυον ---

At verò qvod *svavem fundant cantilenam*, concedere nondum possum, nisi firmioribus edoctus experimentis atq; argumentis.

§. XII. Deinde *distingv.* qvoq; inter id, qvod fit *ordinario*, & qvod fit *extraordinario modo:* inter *naturale*, & *supernaturale.* Non qværitur: *An cycnus, extraordinario qvodam motu per superiorem causam impulsus, svavè possit canere?* In hoc enim concedendo non adeò difficilis ero; cùm asinum etiam hâc ratione loqvi posse, constet. Enim verò de eo, uti dixi, non est qvæstio. Hoc saltim in controversiam venit: *an cycnus naturaliter & ordinariè, ex se & sua naturâ, præprimis morti vicinus, cantare soleat?* Id qvod nego.

§. XIII. Ubi tamen iterum *distingvendum* inter *posse*, & inter *esse.* Non disputo de eo: *An cycnus possit canere?* sed in hoc controversiæ cardo vertitur: *An cycnus ipso actu cantet, & qvidem dulcè?*

§. XIV. Porro non *tantum* ad *senectam*, morti vicinam, restringenda qvæ-

ſtio eſt, utut *potiſſimum* cantando tùm ſeſe exercere ac inſomnes ducere noctes dicatur cycnus; ſed ad *juventam* qvoq; referenda eſt hoc modo: *An cycnus ſvaviter cantet, & præprimis cùm morti eſt vicinus?*

§. XV. Deniq; obſervanda *diſtinctio* inter *cantionem cycneam* ſpectatam παροιμικῶς, qvatenꝰ notat omne id, qvod vel in *eloqventiâ*, vel *doctrinâ* alicujus *ſenis ſedatum, ſvave* & *elaboratum* eſſe videtur; & φυσικῶς, qvatenus ſignificat *operationem* qvandam *cycni*, in ſenſus incurrentem. Atq; in hoc ſenſu impræſentiarum accipitur.

SECTIO III.

ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Confirmans negativam ſententiam.

ARTICULUS I.

Fabuloſam cycnorum juvenum cantionem eſſe, oſtendens,

§. I.

FAbulam ſapere pervulgatam illam de *cycnorum cantu* opinionem, probo

(1.) ab

(1.) ab experientiâ. *Qvicqvid experientiæ contrariatur, asserendum non est: atqvi cantio cycnea experientiæ contrariatur; Ergo asserenda non est.* Major in aprico est. Minor probatur seqventibus. Nam *Julius Cæsar Scaliger ad* citatum Aristot. locum hæc de cycnis observavit: *Ferrariæ multos vidimus; sed cantores sanè malos, neq; melius ansere canere.* Lucianus, ad cujus tribunal Cardanum citat Scaliger, nautas qvæsivit; an cycni cantibus ac modulis indulgeant? sed responderunt hi, *se audivisse cycnos, qvi incomptam & inamœnam vocem ediderint. Adeò qvidem, ut corvos & graculos illis collatos Sirenas esse confirmare possint.* P. Gaspar Schottus Phys. Curios. lib. 9. c. 34. p. 1170. *Multis*, inqvit, *in locis fui, ubi cycni alebantur in rivulis aut piscinis hortorum domesticorum; cantantem nullum audivi unqvam; nec qvemqvam, qvi audivisse se testaretur deprehendi.* Idem & mihi usu venit. Nam permultos non in Saxonia solùm, sed in Pomerania etiam atq; Mecklenburgo ego cycnos vidi; at

nullius

nullius cantum unqvam audire potui. Immò nec iis, qvi noctesqve diesqve versantur in illis locis, qvæ cycni incolunt, qvicqvam hâc de re innotuit.

§. II. (2) à voce injucundâ. *Ubicunq; est vox incompta, ibi non est svavis cantio: atqvi in cycnis vox est incompta; Ergo.* Major per se patet. Minorem ex experientia confirmat *Aristophanes*, apud qvem eorum clamor est Tio, Tio, Tio, Tio, Tinx, in Avib. Et *Albertus* tradit, *tempore pugnæ cycnos sibilare*, & interdum *bombos emittere, ruditui asinino* non dissimiles, sed breves, & qvi longè audiri non possunt.

ARTICULUS II.

Fabulosam cycnorum senescentium cantionem, probans.

§. I.

Hujus theseos confirmationem iterum peto (1) ab experientia. *Qvicqvid enim cum experientiâ pugnat, id Physico asserendum non est: atqvi cycnorum senescentium cantio cum experientia pugnat*;

gnat; *Ergo*. Minorem confirmat *Alexander Myndius* apud *Athenæum* lib. 9. qvi profitetur, multos se moribundos qvidem prosecutum, cantum verò nullius audivisse.

§. II. (2) Ex ratione. *Qvorumcunqve vires naturales & Spiritus redduntur debiliores, illi concitatiorem, qvàm antea, vocem edere non possunt: atqvi cycnorum senescentium vires naturales & spiritus redduntur debiliores; Ergo.* Major est manifesta, qvia ad concitatiorem cantionem concitatiores etiam reqviruntur vires & spiritus. Minor exinde patet, qvia omnia omninò animalia, tristia, placida ac taciturna fiunt ante obitum, teste experientia. Hinc etiam sapientissimus Socrates, cantioni cycneæ non inimicus, redarguit secus sentientes, qvod non animadvertant, nullam esse avem, qvæ cantet, cùm esuriat, aut rigeat, aut qvovis alio afficiatur incommodo.

SECTIO

SECTIO IV.

ΑΝΑΣΚΕΤΑΣΤΙΚΗ,

Refutans Argumenta Adversariorum; *imprimis* ALDROVANDI.

OBJECTIO I.

PRimò *Aldrovandus* l. c. p. 9. minimè existimandum putat, ab antiqvissimis illis Philosophis ac Poëtis, ut Homero, Virgilio, Socrate & Aristotele traditam, deinde unanimi omnium omnis ævi scriptorum consensu acceptam ac comprobatam sententiam nulla omninò veritate fultam esse, ac temerariam, cùm & *Hesiodi* Judicio *plerumq; verum sit, qvod vulgo dici solet.* Argumentum inde emergeret tale: *Qvicqvid ab antiqvissimis Philosophis ac Poëtis traditum unanimiq; omnium omnis ævi scriptorum consensu comprobatum, illud falsum planè ac temerarium non est: atqvi Cantio Cycnea ab antiqvissimis Philosophis ac Poëtis tradita, unanimiq; omnium omnis ævi scripto-*

ſcriptorum conſenſu comprobata; Ergo Cantio Cycnea falſa planè ac temeraria non eſt. Major probatur, tum qvia antiqviſſimum qvodq; veriſſimum; tum qvia plerumq; verum eſt, qvod vulgò dici ſolet.

SOLUTIO.

Reſpondeo I. *indirectè* per *Inſtantiam* ſubſumendo: atqvi ſententia, qvæ ſtatuit *catulos urſarum naſci informes atq; imperfectos*, ab antiqviſſimis Philoſophis ac Poëtis tradita, unanimiq; omnium omnis ævi ſcriptorum conſenſu approbata eſt; Ergo ſententia illa, qvæ ſtatuit, catulos urſarum naſci informes atq; imperfectos, non eſt falſa. *Concluſio* vim infert veritati, uti in *Deliciis* meis *Phyſicis* demonſtravi; Ergo vel *Major*, vel *Minor* vacillabit. Non *Minor*: qvia *imperfectam illam ac informen urſarum generationem* docuerunt *Plutarchus*, *Ariſtoteles*, *Plinius*, *Solinus*, *Pollux*, *Ælianus*, *Oppianus*, *Iſidorus*, *Galenus*, *Albertus M. Ovidius*, *Petronius*, *Orus*, *Auctor de Nat. rer. Ambroſius &c.* Ergo *Major*, qvæ *Aldrovandi* & *Keckermanni* eſt. II. *Directè* (1) *Majorem negando.* Nam

(a) *à teſti*

(α) à *testimonio* merè *humano ad rei veritatem* in rebus *naturalibus N. V. C.* (β) *Multitudo errantium non parit errori patrocinium.* (γ) *Poëtarum fides* admodum *lubrica* est. Nam

.... Pictoribus atq; Poëtis
Quidlibet audendi semper fuit æqua
potestas.

Qvod verò attinet ad *Majoris probationem*, dico (δ) *antiqvissimum esse verissimum*, qvoad *veritatem ipsam*, qvamvis non semper *qvoad veritatis manifestationem*. Fieri enim potest, ut falsum citius divulgetur, qvàm verum. (ε) Et *qvod vulgo dici solet*, *verum* qvidem *putatur*, sed *nonnunqvam*, non *semper*. Hinc *à particulari neq; ad particulare*, *neq; ad Universale V. C.* (2.) *Minorem corrigendo.* Nam neq; hæc omni ex parte procedit. Cùm *Plinius* qvoqve, *Lucianus*, *Alexander Myndius*, itemq; *Ælianus* ad vetustiores pertineant scriptores, à qvibus tamen *Cycnea cantio* vel prorsus improbatur, vel in dubium saltim vocatur.

OBJECTIO II.

Deinde *Aldrovandus* urget, qvod *Ægyptii*, qvibus vel ipsi Græci omnem Philo-

 sophiam

ſophiam acceptam referebant, *Cycnum Muſicæ Hieroglyphicum* eſſe, voluerint. Præterea, qvod omnis antiqvitas *Cycnum Apollini* Citharœdo Muſicæ inventori conſecrarit. Huc pertinent proverbia, qvalia ſunt: *Inter ſtrepit anſer olores: Hirundo contendat cum cycnis: Certent & Cycnis Ululæ*: Κύκνειον ᾆσμα, τὸ κύκνειον ᾄδειν &c.

SOLUTIO.

Reſp. *A proverbiis, Hieroglyphicis, emblematibus &c. in rebus Phyſicis ad rei veritatem N.V.C.* Multa enim dicuntur, multa finguntur, multa pinguntur, qvæ tamen non ſunt. Sic *Ægyptii*, ut apud *Orum Apoll. in Hieroglyph. cap. LIX.* videre eſt, *mulierem vitæ mariti inſidiantem ſoloq; in coitu blandientem*, delineaturi, pingebant *viperam*, qvæ cum mare *congrediens os ori inſerit, & à coitu diſcedens marem morſo capite interimit.* Cur autem, qvæſo? qvia fabuloſâ iſtâ opinione imbuti erant, *viperam genituram per os recipere ac caput maris in coitu abſcindere, poſtea verò in partu à catulis confosſam interire.* Vide Cap. IV. Iidem qvoq; *Crocodili lacrymantis ſchemate hypocritam* exprimebant,

mebant, eò qvod crederent, *crocodilum lacrymas effundere, si devoret hominem.* Qvo tamen nihil falsius, nihil ineptius esse potest. Vide *Delicias* meas *Physicas*, ubi multa hâc de re. Præterea nec *proverbia* semper *veritatis* fulcro innituntur. Nam qvæ à *Phœnice* desumta sunt adagia v. g. *Phœnice rarior*, *Phœnice vivacior*, *Phœnicis instar revivscere &c.* hæc omnia *fabulosis* superstruuntur opinionibus. Sic & seqventia: *Lupi illum priores viderunt*, *Eqvis jungere Gryphes*, *Magis mutus qvàm piscis*, *Talpa cæcior*, *In aëre piscari*, *Aëre vivere Chamæleontis in morem &c.*

OBJECTIO III.

Tertium argumentum petitum est ab experientia (1.) *D. Federici Pendasii*, qvi se cycnos cantantes in *lacu Mantuano* cymbâ vectum audivisse, testatur. (2.) *Georgii Braun.* qvi refert, cycnos propè *Londinum*, Angliæ Emporium in mari agminatim læto occursu & festivis cantibus subeuntes classes excipere. (3.) *Alberti*, qvi hujusmodi *voces lugubres* in qvalibet tristitia ab eis edi,

animadvertit. (4.) *Antonii Musæ Brasavoli*, qvi fatetur; sese observasse, cycnos sub vitæ exitum canere; negat autem, id facere omnes, *in Comment. ad Porphyr. Isagog.* (5.) Tanden addit suam observationem. *Qvovis tempore*, inqviens, *canorum qviddam, etsi lamentantium in morem eos obstrepere, ego non semel datâ operâ observavi & auscultavi.*

SOLUTIO.

Resp. I. *in genere*, distingv. inter *qvamlibet vociferationem*, & *svavem cantionem*: sive inter *cantionem latè*, & *rigorosè* acceptam. De *illâ* si loqvitur *Aldrovandus*, committit *fallaciam ignorationis* Elenchi, qvia de eâ non est qvæstio; sin verò *hanc* intelligit, *nego*, eam ex adductis experimentis certò colligi posse, sed evidentiori opus esse demonstratione. Nam II. *in specie* qvod (1.) ad *Pendasii* & (2.) *Georgii Braun* testimonium attinet, nondum satis constat (α) an intelligant *cantionem svavem ac propriè dictam?* (β) An *naturali motu* hoc factum? (γ) Annon *aliarum avium cantum pro cycneo* acceperint? Et (δ) si hos testimonium cum re consentiret, cur

non

non confirmarent idipſum etiam *cæteri*, qvi loca illa adierunt. Sanè non paucos novi, qvi in *lacu Mantuano* & prope *Londinum* cycnos qvidem viderunt, at cantantes nunqvam obſervarunt. Neq; (3) *Alberti voces lugubres* dulcem cantionem adſtruunt. Nam & *turtur lugubri* qveruloq; *ſono* aërem complet, *modulationis* tamen *artificio* caret. (4.) Porrò *Braſavoli* autoritas tanta non eſt, qvanta ab *Aldrovando* æſtimatur. Qvid? qvod nondum conſtet de eo, utrum τὰ *canere latè*, an *ſtrictè* uſurpet? Dum verò *non omnes, canendi beneficio gaudere*, asſerit, ſuppeditet rationem, *cur* pleniq; cycni, licet *arteriâ aſperâ* gaudeant, ejus tamen deſtituantur *uſu*; aut fateatur, exemplum iſtud *ſingulare* forſan atq; *extraordinarium* fuiſſe. Deniq; (5.) nec *Aldrovandi* obſervatio evincit, qvod evincere debet. Nam haud in qvæſtione eſt: *An cycnus canorum qviddam lamentantium in morem obſtrepat?* Hoc enim non *cycnis* ſolùm, ſed *anſeribus* etiam, *gallinis*, *turturibus*, *columbis*, immò *canibus* qvoq; ac *lupis* attribuere poſſumus. Verùm de eo potiſſimum disqviritur: *utrum cycnus ſvaviter moduletur, præprimis inſtante morte?* Et hoc eſt, qvod ab *Aldrovando* probari

qvidem debuisset, sed hactenus demonstratum nondum est. Hinc potius inverto ipsius rationem atq; concludo: *Qvicunq; lamentantium in morem canorum qviddam obstrepunt, illi svaviter non cantant: atqvi Cycni lamentantium in morem canorum qveddam obstrepunt; Ergo.* Major constat, qvia *lamentari* non est *modulari*, *obstrepere* non est *canere*, & *canorum qviddam*, non est *ipsa svavis cantio*. Minor est *Aldrovandi*.

OBJECTIO IV.

Qvartum ratiocinium his exprimitur verbis: *Huc rursus non minimi pondeis alia haec ratio accedit, qvod Belgae maritimi, ut Frisii, Batavi, Mattiaci, caeteriq; his vicini olorem, qvi non minus freqvens apud hasce gentes est, qvàm in Helicone à Poetis putatus, imò si uspiam alibi freqventissimus, ob stagnorum copiam, vernacula voce* Huyler *cognominant, dictione ab* Olor *non admodum dissona; sed qvae avis proprietatem exactissimè exprimat.* Huylen *enim ipsis lugere, seu ejulare aut plangere significat: qvâ indicant, avem hanc*

hanc lugubrem qvendam cantum edere svaviq; planctu modulari.

SOLUTIO.

Resp. (1.) *Argumenta ex nominibus ducta non semper firmo stant talo.* Qvamobrem, *potior cura rerum*, habenda est, qvàm *verborum.* (2.) Belgarum *Huylen* convenit cum nostro Germanico Heulen / tribuiturq; non *cycnis* tantùm, sed *canibus* etiam, *lupis* &c. qvippe qvi etiam plangunt ejulantq;. Sed qvid exinde contra nos efficitur? nihil certè: cùm ejusmodi *luctuosam ejulationem* cycnis non denegemus. Committitur igitur *fallacia ignorationis Elenchi.* (3.) Interim posito, illud HUYLEN *svavem* denotare *cantilenam*, nihilominus tamen adhuc disceptatur: *utrum Belgæ ὀνοματοθεσίᾳ illâ respexerint ad vulgatam plerorumq; opinionem?* num verò *suam expresserint mentem?* Qvô de cùm nihil certi constet, nihil qvoq; certi exinde colligetur.

OBJECTIO. V.

Qvintum fundamentum ex *arteriæ asperæ præsentiâ* desumi posset h.

modo: *Qvicunq; appositissimo ad concentus Musicos instrumento sunt præditi, illi etiam cantare possunt; atqvi cycni appositissimo ad concentus Musicos instrumento sunt præditi; Ergo cycni etiam canere possunt.* Majorem probat *Keckermannus*; qvia *Natura nihil facit frustra.* Minorem elegantissima arteriæ asperæ structura confirmat.

SOLUTIO.

Resp. (1.) *in genere: A posse ad esse N. V. C.* (2.) *in specie* limitando *Majorem* h. m. Qvicunq; appositissimo ad concentus Musicos instrumento, *ceterisq; reqvisitis necessariis gaudent*, illi etiam canere possunt. Sic negatur *Minor.* (3.) Qvod verò ad *arteriam asperam* attinet, tenendum, qvod illa non propter *cantionem*, sed propter *respirationem* Cycnis sit concessa. Cùm enim, cygnum in stagnorum fundo herbas aliaq; edulia sibi qværere, voluerit natura, par qvoq; fuit, ut illi collum longissimum efficeret, qvo tanqvam piscatoris linea pabulum è luto attraheret. Ne verò longâ illâ morâ, dum rostrum, interdum ad dimidium fermè horæ, cœno immergit, suffocatio-

nis

nis periculum incurreret, asperam ipsi concessit arteriam, collum non tantum longitudine æqvantem, sed dodrante etiam excedentem, ex qvâ, tanqvam ex promo condo, spiritus tam diuturnæ urinationi inservientes, suppeditantur. (4.) Et si aptissimum instrumentum, si elegantissimam tubam nacti sunt cycni, cur, qvæso, vigentes florentesq; concessis non utuntur bonis?

OBJECTIO. VI.

Sextum pro adversâ sententiâ argumentum suppeditat *Keckermannus*, ita concludens: *Qvæcunq; aves collum habent procerum, illæ svavius cantillant, qvàm aliæ: atqvi cycni habent collum procerum; Ergo cycni svavius cantillant, qvam aliæ aves.* Majorem probat, qvia semper in longis instrumentis svavior formatur modulatio, qvam in brevibus.

SOLUTIO.

Resp. negando *Majorem*. Nam & *ciconiæ*, *onocrotali*, *grues &c.* procera habent colla; Ergone svavius canunt,

qvàm aliæ volucres? Minimè. Procerum collum nihil, vel certè parum facit ad modulos, ficut nec breve impedit. Lufciniæ & ipfæ breves fatis brevibus gaudent collis, omnes tamen aves cæteras fvaviffimo fuo cantu exfuperant. Rectè Aldrovandus! *Colli proceritas & anguftia multis aliis, nulla tamen vocis fonoræ fvavitate commendatis, eſt communis.* Cærum, loco *corollarij*, unicum adhuc de *cycno* ex *Sperlingii* Zool. notetur axioma:


Candidus cycnus candoris exemplum eſt.

Unde proverbium natum: *Cycno rarior atro.* Et verfus:

Rara avis in terris nigroq; fimillima cycno.

Candori corporis candor animi refpondet. Pacem habet cum omnibus avibus, & non nifi laceffitus pugnat. Pugnat autem fortiter, & ne bellicofisfimæ qvidem aqvilæ cedit. Domi & foris ita fe gerit, ut laudetur ab omnibus, culpetur à nullis. Summa laudum hæc eſt: *Cycnus bene nafcitur, bene vivit, bene gignit, bene pugnat, bene fenefcit, bene moritur.*

CAPUT



CAPUT IV.

DE CONGRESSU ET PARTU VIPERARUM.

AN VIPERA GENITURAM PER OS RECIPIAT, ET CAPUT MARIS IN COITU ABSCINDAT, POSTEA VERO IN PARTU A CATULIS CONFOSSA INTEREAT?

Neg.

SECTIO I.

ΠΡΟΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Auctorum dissensum exhibens.

ARTICULUS I.

AFFIRMATIVAE Patronos recensens.

§. I.

Huic qvi subscribunt, vel apertè sensa animi exponunt; vel ex relatione aliorum sapiunt adeoq; cum trepidatione qvâdam sententiam arripiunt.

Ille

Illo modo rem indagat *Herodotus* in Thalia, ubi narrat, viperam marem in coitu caput inserere ori conjugis inq; illud exspuere semen: illam verò rabidâ libidinis voluptate caput maris præcidere. Sed catulos vicissim partus moram pertæsos, lateribus matris perfossis vi erumpere. Atq; sic utrumq; parentem perire. Hoc verò à Deo & naturâ statutum ait, ne in immensum excrescat viperarum numerus. Hausit autem *Herodotus*, qvantum conjicere possum, hanc suam opinionem ab *Ægyptiis*. Hi enim, ut apud *Horum Apollinem* in Hieroglyph. cap. LIX. legere licet, mulierem, vitæ mariti insidiantem soloq; in coitu blandientem, delineaturi, pingebant viperam, qvæ cum mare congrediens os ori inserit, & à coitu discedens marem morso capite interimit. Amplexus est hanc fabellam *Nicander* qvoq; in Theriacis, itemq; *Plinius*, fabularum Pater, lib. 10. Hist. Nat. cap. 62. *Vipera*, inqviens, *mas caput inserit in os qvod illa abrodit voluptatis dulcedine.* Paulò post: *Tertia die intra uterum catulos excludit: deinde singulos singulis diebus parit, viginti ferè numero. Itaq; ceteræ tarditatis impatientes, per-*

rumpunt

rumpunt latera, occisâ parente. Seqvuntur *Lucanus* in illo versu:

Viperei coëunt abrupto corpore nati.

Isidorus lib. 12. Orig. cap. 4. *Vipera dicta, qvod vi pariat. Nam cum venter ejus ad partum intumuerit, catuli non exspectantes naturæ maturam solutionem, sed corrosis lateribus vi erumpunt cum matris interitu. Fertur autem, qvod masculus ore inserto viperæ, semen exspuat, illa autem, ex voluptate libidinis in rabiem versa, caput maris ore præcidit. Ita fit, ut parens uterq; pereat, masculus dum coit, fœmina cum parturit. Volaterranus* qvoq; Philol. lib. 25. p. 300. *Viperæ fœtus enecta matre prodeunt, uti inter pisces acus & myrena: mas etiam in coitu exanimatur, capite in os fœminæ inserto, præq; voluptate ab eâ exciso.* Nec non *Lambertus Danæus* Phys. Christ. Tract. 5. cap. 24. p. 214. *Qvid de Viperarum toto genere dicam cujus semper funesta familia? & dirus ortus? Fœmina marem necat in coeundo,*

undo, & caput illi dentibus abſcindit. Fœtus matrem in vindictam patris exeundo lacerant, & trucidant, alvum ejus erodentes. Qvibus adſtipulantur *Orus Apollo* in Niliacis, *Ereſius*, *Cælius Rhodiginus*, *Julius Camers*, *Nicolaus Nicolus Florentinus*, *Arnoldus de Villa nova*, *Montagnana*, *Petrus Gillius*, *Petrus Candidus*, *Pandulphus Collenucius*, *Gabriel Zerbus*, *Simon Majolus*, & *Sympoſius*, antiqvus ænigmatum ſcriptor, his verſiculis:

Non poſſum naſci, ſi non occidero matrem.
Occidi matrem: ſed me manet exitus idem.
Id mea mors patitur, qvod jam mea fecit origo.

§. II. Immo nec ipſi S. *Patres* calculum ſuum his denegant. Sic enim *Chryſoſt.* in Matth. cap. 16. homil. 58. p. 508. Editionis Commelianæ: Τὰς τόκους κεφάλαιον ποιεῖν, καὶ βιάζεσθαι τὸ ἄωρα, καὶ ἀμβλωθρίδια προσενεγκεῖν γεννήματα ἐχιδνῶν: *fœnora in ſortem redire coguntur, & immaturos*

turum ac abortivũ partũ parere viperarũ. Hinc subjungit: Τοιοῦτον γὰρ οἱ τόκοι τῶν θηρίων ἐκείνων μᾶλλον καλεσθίουσι, καὶ σπαράττουσι τὰς τῶν ἀθλίων ψυχάς: *Hunc enim in modum fœnora illa magis, qvam viperæ alvos parentum, vorant ac lacerant animas miserorum.* *Hieronymus* ad præsid. *Viperæ per os coitum faciunt. Masculi mortem contemnunt. Sed fœmina in ipso coitu, sive magnâ dulcedine exagitata, sive futuri præsciens periculi, dum absorbet semen, caput masculi excidit, & sic eum occidit. Sed qvum conceperit, viscera illius ab ipsis, qvos conceperit, comeduntur, & sic matrem occidunt.* Eadem docent S. *Athanasius*, *Epiphanius*, *Origenes*, *Augustinus*, *aliiq; numero complures.*

§. III. Cautius verò suam exponunt mentem *Basilius*, *Plutarchus*, *Prudentius*, atqve *Apulejus*. *Basilius* enim in Hexaëm. homil. 9. addit suum ὥς φασί, *ut dicunt*, non sine re & ratione. *Plutarchus* qvoqve de Garrulitate: Τὰς, ait, μὲν γὰρ βελόνας φασὶ ῥήγνυσθ-

γνυᾶθαι ἰκ]ἔσας, καὶ ἰὰς ἐχίδνας: *Acus enim* (NB) *ajunt parientes disrumpi, & viperas. Prudentius* in Hamartigeniâ ita canit:

---- --- *Sic vipera (NB) ut ajunt,*
Dentibus emoritur fusa per viscera prolis &c. &c.

Apulejus in Apologiâ hunc in modum discurrit: *Vipera, (NB) ut audio, exeso matris utero in lucem proserpit: atq; ita parricidio gignitur.*

ARTICULUS II.

NEGATIVAE defensores producens.

§. I. Primus ferè, qvi hanc de *catulis viperinis* opinionem fabulosam judicavit atqve refutavit, fuit *Apollonius Thianaeus* apud *Philostratum* lib. 2. c. 7. Ita enim ille: *Neq; assentior*, ait, *imprudenti eorum sermoni, qvi dicunt, viperarum filios absq; matre nasci.* Qvem secutus est *Albertus M.* de Animal. lib. 25. ap. *Johannem Baptistam* in femin. Philos. Aristot. p. 1410. *Falsum est*, inqviens, *fœminam* (sc. viperam) *in coitu truncare caput maris, & fœtum ipsius viscera perforare.* Nec aliter *Georg. Agricola*

cola lib. de Animant. Subter. p. 58. 59. disserit, inter alia & hæc proferens: *Nec verò etiam cum viperæ commiscent corpora sibi circumvoluta, fœmina maris caput insertum in os, ut idem Plinius scribit, abrodit voluptatis dulcedine.* Subscribunt his *Julius Cæsar Scaliger* Exerc. 201. & in Comment. 2. de Hist. Anim. Arist. cap. 18 *Nicolaus Leonicenus*, qvi seculo superiori proximo hunc & plerosq; alios errores redarguit, demonstravit & editis libellis exstirpavit: *Franciscus Caballus Brixianus*, & *Ambrosius Leo Nolanus*, *Carolus Roletus*, *A. Lacuna* in Dioscorid. *Amatus Lusitanus* Centur. 2. Curat. 79. & cent. 1. obs. 1. & lib. 1. in Dioscor. *Fer. Imperatus* in Lib. Histor. Nat. sermone de viperis, *Franciscus Ferrariensis* de Cordoua didascaliæ cap. 10. *Bodin.* in Theatr. Nat. *Vossius* Theol Gentil. lib. 4. cap. 52. p. 1482. *Marcus Aurelius Severinus* de vipera Pythia part. 1. cap. 13. *Baldus Angelus Abbatius* Tr. de viperæ naturâ & facultatibus, *Cornelius à Lapide* in Matthæum, *Pierius Valerianus* in Hieroglyph. Cardinalis *Toletus* ap. Ferrariens. l. d. p. 197. *Veslingius* in Epist. ad eundem part. 1. c. 13. *Matthiolus* in Dioscor. lib. 2. cap. 16. *Martinius* in Lexic. sub voce Vipera, *Sperlingius* Zool. Phys. lib.

6. de serpent. c. 4. p. 444. *Jonstonus* lib. de serpent. tit. 2. cap. 1. art. 1. p. 12. *Sen gverdius*, Philosophus Amstelodamensi in Exerc. Phys. Exerc. 37. p. 258. his verbis *Nos non dubitamus, qvin veterum illa narratio* (de partu viperarum) *mera fabula sit, cum diversi rerum naturalium curiosi indagatores hoc falsum esse, experiundo didicerint.*

§. II. Atq; hi sunt *negantis* partis as seclæ, qvibus etiam ego accedo, certò sta tuens, illa, qvæ de coitu & partu viperarum supra ex *Herodoto*, *Plinio* aliisqv commemoravi, admodum incerta, qvid prorsus fabulosa atq; fictitia esse. Id qvoc paullò post ostendam, si prius nonnulla, circa *statum controversiæ* notatu digna, præmisero.

SECTIO II.

ΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

statum controversiæ constituens.

ARTICULUS I.

Explicans NOMINALIA.

§. I. Tria sunt, qvæ enucleationem hic reqvirunt, nomina. Primum est ly

Coitus,

Coitus, de qvo, omiſſâ *Etymologiâ*, vel pueris notâ, ſaltim breviſſimis adducam (1.) *Homonymiam*. Scilicet, qvod ego h. l. illud non accipiam *generaliter & indeterminatè* pro qvocunq; congreſſu; ſed *ſpecialiter & determinatè* pro coitu venereo, qvem *Hippocrates*, teſte *Gellio* Noct. Attic. lib. 19. c. 2. p. 496. partem eſſe qvandam teterrimi Comitialis morbi exiſtimabat.

§. II. (2) *Synonymiam*, ſecundum qvam Ebræis dicitur משכב; Græcis ὀχεία; Latinis aliàs qvoq; *congreſſus*, *concubitus*, *complexus venereus*; Italis *Aſſembramento*, *unione*; Gallis *Aſſemblee*, *amas*; Hiſpanis *Ayuntamiento*, *cojuncion*; Germanis die eheliche Beywohnung.

§. III. Alterum eſt τὸ *Partus*, de qvo itidem notabo (α) *Homonymiam*. Supponitur autem *Partus* vel *concretè*, vel *abſtractè*. *Concretè* vel *propriè*, vel *impropriè* uſurpatur. *Propriè* idem eſt ac in lucem editus: Ita *Virgil. 6.* Æneid. *Alius Latio jam partus Achilles*; & *Lucret.* lib. 5. *Et genus omne, qvod eſt veterino ſangvine partum*. *Impropriè* ſignificat id, qvod labore comparatum, acqviſitum, colle-

ctum est. Sic *libertas* dicitur *parta*, Ci de Leg. Agrar. contr. Rull. *Existimati parta*, pro Syll. 182. a. *præda parta*, d Provinc. 74. b. *Abstractè* iterum vel in *nativâ*, vel in *figuratâ* significatione adhibetur. *Illo* modo nonnunqvam *pariendi actum* importat, ut in illo *Virgil* l. 1. Æneid. *Marte gravis geminam parti dabit ilia prolem*; nonnunqvam *ipsum fœtum*, uti ap. *Cicer*. de Orat. 124. b. Feræ partus suos diligunt. *Hoc* verò sensi indiscriminatim qvodlibet effectum denotare solet. Hinc dicitur *partus malorum*, *partus ingenii*. Ego h. l. tam *abstractè*, qvàm *concretè* vocabulum intelligo, ita tamen ut utrinq; *metaphoricus* exulet sensus.

§. IV. (β) *Synonymiam*. Sic Ebræi Latinum *partus* exprimunt per לֵדָה, Græci per Κύημα, Τόκος, Τέξις; Gall. *Enfantement*; Ital. & Hispan. *Pario*; Germ. eine Gebuhrt.

§. V. Ultimum deniq; est vocabulum *Vipera*. Ubi observo (α) *Originationem*, tum *Latinam*, qvæ admodum Philologis est controversa. *Isidorus* enim *viperam* dictam existimat, qvod *vi pariat* l. c. *Plinius* v. qvod *vi pereat*, sc. à catulorum

tulorum perfossione. Juxta nonnullos à *sibilo* hoc nomen sortita est, qvia *ad litus sibilo testificata præsentiam sui ad conjugalem amplexum vocet murenam*, ut habent verba *Ambrosii* hexaëm. lib. 5. c. 7. qvod tamen falsum esse *Abbatius* l. c. cap 9. p. 54. seq. demonstrat. Alii à *vipre*, id est, *vepre* derivant, qvia in *vepretis* stabulari gaudet. Sed rectiùs forsan *Vossius* Theol. Gent. lib. 4. cap. 52. p. 1482. & alii *viperam* inde appellatam putant, qvod *vivos pariat* catulos, ad differentiam reliqvorum serpentum, qvi sunt *ovipari*, ut ita *vipera* contractè sit qvasi *vivipara*. Sed hanc controversiam Philologis discutiendam relinqvam.

§. VI. Tum *Græcam*, non qvidem τȣ̃ *Vipera*, sed ejusdem in Græcià *Synonymi*, qvod est ἔχις. *Hoc* verò à *Martinio* deducitur ab ἔσχεσθαι *adhærere*: qvod ἐσχόμενος τῆς ἐχίδνης ὀχεύει. *Viperæ enim*, ut Plinus habet, *coëunt complexu adeò circumvolutæ sibi ipsæ, ut una existimari biceps possit.* A *Scapula* & aliis ab ἔχειν *habere, continere* derivatur: qvia ἔχῃ *contineat* fœtum usq; ad mortem, ut *Ludovicus Cælius Rhodiginus* existimavit; vel rectius, monente *Vossio* ex *Suida* & *Etymologo*,

lymologo, qvia *contineat*, usq; dum *vivum pariat* fœtum.

§. VII. (β) *Æqvivocationem.* Sumitur enim *Vipera* vel *propriè*, vel *impropriè. Impropriè* (1.) *noxium hominem*, callidum insidiatorem signat Ita Judæi progenies viperarum dicebantur Matth. III. 7. id est, malorum majorum mali posteri. (2) *adulterum*, qvia vipera cum murænâ ἀλλογενεῖ consvescere dicitur, qvanqvam falsò. Vid. *Rondelet. Ambros. Jonston. Severin. Propriè* tum *latè* serpentem in genere qvalemcunq; notat; tum *strictè* certam serpentum speciem, in eo ab aliis differentem, qvod vivum edat fœtum, ut h. l.

§. IIX. (γ) *Appellationem variam.* Sic Græcis dicitur ἔχις, ἔχιδνα: Hodiernis verò *Echendra*, teste *Bellonio*. Gallis audit *Vipere*; Italis *La serpe detta vipera*; Hispanis salutatur *La bivora sierpe*; Svessanus *Scorzionem* vocat: Nicolaus Florentinus, *Scorzonem*; Arabes *Thyri* vocabulo insigniunt.

ARTICULUS II.

Exponens REALIA.

§. I. Hic ante omnia *viperæ natura* qvodammodo est declaranda. Est

igitur

igitur *vipera serpens morsus acerrimi, vivum pariens animal. Longitudo* ejus est varia, plerumq; tamen cubitalis. *Crassitudine* pollicis conspicua est. *Color* est subflavus, maculis tamen plurimis distinctus. *Corpus* tenue & mirâ ad motum alacritate gaudet. *Caput* angustum & acutum, figura rhombi. *Oculi* vivaces, subrubentes, inverecundi, præsertim in fœmina, teste *Auctore* de Theriac. ad Pison. *Auriculis* caret, sed earum loco qvasdam cavernas habet. *Canini* dentes duo, nonnullis qvatuor sunt, & præter hos duodecim in superioribus maxillis, in inferioribus viginti duo conspiciuntur. Vid. *Jonston.* it. *Abbatius* l. c. *Gesnerus* de Serpent. *Cibum* suppeditant herbæ, *Pausanias* in Bœot. nec tantum herbæ, sed erucæ etiam buprestes cantharides, mus araneus, stelliones, scarabæi, bufones, *Auctor* ibid. Immò qvoq; scorpiones, *Aristot.* itemq; picæ pulli, *Albert.* nec non furfures. *Jonston. Penis* masculo duplex, qvatuor qvoq; testes. *Fœminæ* itidem *vulva* geminata cum duplici orificio, oblonga, satis ovorum plena. Utrum verò in ambobus uteris eodem tempore semen immittatur ab utroq; pene, an qvandoq; uno uni, qvandoq; altero

alteri, sive ab alterutro genitali projiciatur; incertum prorsus omnibus est huc usq;. *Patriam* sibi viperæ multas vendicant regiones. Reperiuntur enim in Italia, Hispaniâ, India, Melita, Cypro, Chio, circa Amyclas, & alibi. *Aristoteles* tamen in Creta nasci negat. *Cordus* in Germania nunqvam conspicatus est. In Insula Syagro, Arabiæ promontorio vicinâ, magnæ reperiuntur. *Marsi* populi, qvi impunè viperas tractabant, alibi generari negavere. Delectantur imprimis locis montanis: ideo circa Haliacmon Macedoniæ fluvium, & in Euganeis Patavinis montibus inveniuntur. Vid. *Jonstonus.*

§. II. Deinde probè qvoq; distingvendæ sunt qvæstiones, qvarũ confirmatio atq; vindicatio hic tradenda. Tria einm sunt qvæstionis supra propositæ membra. I. qværitur, *an viperæ ore coeant?* II. *An vipera fœmina caput maris in coitu præcidat?* III. *An catuli matrem in partu, communi naturæ lege, perfodiant?* Ego *negativam* singularum amplector atq; tueor.

§. III. Distingvendum verò inter *coitum & osculum.* Viperæ qvidem *ore oscula*

oscula deferunt; sed eodem tamen non *coëunt*. Id qvod dubio procul fefellit improvidos adversarios, ut adeò sibi persvaderent, viperas lambendo & osculando semen simul in uterum fœmineum infundere, qvod tamen falsum esse, mox demonstrabitur.

§. IV. Porrò observandum, me non qværere, *an aliqvando fœmella vipera, insanâ libidine inflammata, caput maris forte fortuna abſciderit?* In hoc enim concedendo facilem me habebunt adversarii. Sed hoc est, in qvo controversiæ cardo consistit: *An communi naturæ lege ita sancitum sit, ut vipera, nuptias cum mare celebrans, eundem decollet, ne in immensum crescat viperarum genus?* Id qvod experimentis variis adductus, nego.

§. V. Sic similiter nec de *partu* disputatur, *an aliqvando catuli viperini matrem per accidens confoderint?* Hoc enim non impossibile judico, &, si verum experimentum allatum fuerit, ζήτημα Lubentia ipsa lubentior affirmabo. Verum enim verò sollicitus potius sum de eo, qvod fit *semper* & *per se*, ideoq;

hîc illud qværo: *An constitutum sit à sapientissimâ natura, ut viperea proles genitricis suæ alvum perfodiat, ipsamqve adeo interficiat?* cujus negativam seqventi membro probabo.

§. VI. Sed notanda adhuc *distinctio* est inter *partum viperarum naturalem, & non-naturalem. Naturalis* est, cùm catuli viperini, obvoluti membranis, utero exeunt, instar ovi, sed statim extra uterum membranas frangunt abrumpuntqve. *Non-naturalis*, est, qvando involucrum, qvod secundam in mulieribus vocamus, nonnunqvam in utero perforant. Utrumq; partum viperis qvidem concedo, sed exinde non licet concludere: *Ergo perforant matris alvum.*

§. VII. Diversissima enim sunt: *viscera perforare*, &, *secundas perforare. Prius* viperarum catulis denego, *posterius* vero iisdem attribuere non vereor, qvia experientia qvandoq; id confirmavit. Atq; hæc duo probè sunt observanda, cum alias in errorum nassam cum *Plinio* facillimè incidere qveamus.

§. VIII Deniqve nec in hoc concedendo adeo difficilis ero, *uterum* videlicet

licet *alio qvodam modo disrumpi posse*, idq; tum, qvando multitudinē fœtuum ob angustiam suam ferre neqvit. Hoc enim *Acubus* qvoqve piscibus evenire, jam dudum *Theophrastus* prodidit. Ex qvo forsan error sapientum virorum propullulavit, qvi videntes viperam qvandoq; superstitibus filiis extinctam, à prole enecatam turpiter crediderunt, & ita negligenter in diuturno errore versati sunt. Sed aliud est, *uterum ob numerosæ prolis multitudinem & incrementum disrumpi*; aliud, *uterum à catulis perfodi*. *Illud* fieri posse, qvanqvam rarissimè, non repugno; *hoc* verò accidere, oppidò nego.

SECTIO III.

ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Sententiam veram confirmans.

ARTICULUS I.

CONGRESSUS veritatem ostendens.

§. I. Circa *coitum* duo, ut ex antecedentibus constat, probanda veniunt: I. *An ore coëant viperæ?* II. *An fœmella in coitu caput maris abscindat?* Prioris qvæstionis *negativam* defendo (1) *ex Experientia*. Qvicqvid comprobat experientia

perientia, illud negandum non est: atqvi viperas ore non congredi, comprobat experientia ; Ergo. *Major* suo robore pollet. *Minorem* probo: Sic *Pierius Valerianus*, in Hieroglyph. testatur, se vidisse viperas utriusq; sexus, electas & vivariis inclusas, qvæ aliorum instar animantium congressæ sint, conceperint, pepererint, & fœtus suos educaverint. Spectavit hoc idem *Cardinalis Toletus* & *Jesuitarum* numerosa concio apud *Ferrar*. d. l. Concelebrant autem viperæ coitum ad communem serpentiûm modum. Cum enim hæ pedibus careant animantes, ac oblongo teretíq; corpore sint donatæ, exiguâ sui parte sub Venerem conjungi compotes sunt, neqveuntq; per incommodam corporis sui formam commode ad generationem adaptari, id est, sese per membra amplecti: pro qvibus tamen, naturâ docente ac necessitate compellente, agilitate corporis utuntur, mutuo sese ac spiratim in compar

compar conjugis corpus adaplicantes, atq; ſic funiculi duplicis in modum complicantur. Ita autem cohærent, ut unius bicipitis ſerpentis corpus unum planè videatur. Interim exſerit in bivalvem vulvam maritus genitale ſuum, qvod hiſpidum ac ſpinoſum ſinus uteri denſiores undiq; ſcalpit ac pervellit. Sic virus vitale, ut ait *Plinius*, & elementum genitale in fundum vipereum ejaculatur. Hæc vera ratio ſationis eſt, qvam ex ἐχιδναίομῇ vivâ ſerpentis inſpectione dictitavit ſæpius laudatus Medicus, *Aurelius Severinus* p. 192. Qvibus addendum & hoc, qvod fœmina, ſemine recepto, ova unius coloris, & mollia, inſtar ovorum piſcium, concipiat, & qvidem ſupernè verſus præcordia, teſte *Jonſtono*. Hæc poſteà elaborantur ab animâ, qvâ ſunt prædita, usq; dum tertio vel qvarto menſe perficiantur. Qvo tempore catuli ſine ullis membranis, qvandoq; qvod eas ſcindant, aliqvando iisdem obvoluti prodeunt.

§. II. (3) 🙰

§. II. (2) *Ex vulvæ, penis, testium aliarumq́; partium generationi inservientium, præsentia.* Qvæcunqve animalia *vulvâ pene, testibus* aliisqve ad coitum necessariis partibus sunt instructa, illa ore non coëunt: atqvi viperæ vulva, pene, testibus aliisqve ad coitum necessariis partibus sunt instructæ; Ergo. *Majoris* connexio est satis firma. Hæ enim dictæ & similes partes generationi sunt destinatæ, non os, non lingva, non ventriculus. *Minor* ex anatomicâ *αὐτοψία* liqvet, qvam satis abunde exhibet nobis *Angelus Abbatius* cap. 9. p. 50. *Uteri osculum*, inqviens, *in qvod semen à mare immittitur per penem in postrema ferè caudæ parte residet, ubi vulva biceps, vel duplex, ex orificiis & lectionibus dignoscitur. Aristoteles* qvidem lib. 4. de partib. Animal. *Testes viperinos* in dubium vocat, qvando scribit: *Nullus piscium, nec intus, nec foris testes habet, neq; animalium pedibus carentium ullum, neq; serpentes.* At verò *sectio Anatomica & inspectio* aliud nos edocent, tum in *piscibus*, tum in *viperis*. In *piscium* genere *Delphini testes*, oblongos habent, qvod alibi sui oblitus grandis ille Philosophus confirmat. *Vi-*

tuli

tuli item *marini* iisdem ſunt præditi, teſte *Rondelet.* lib. 16. cap. 16. de piſcib. Ut alios omittam. *Viperei* verò *maris teſtes & penis* ex inſpectione innotuerunt *Baldo*, *Ulyſſi Aldrovando*, itemq; *Ferranti Imperato*, nec non *Severino* in Zootom. part. 4. p. 359. Qvi teſtes in viperâ à ſe diſſecta, oblongos obſervavit, formâ æmulantes Pineæ ſemen. Et qvi dubitat de eâ, ipſe Anatomicum cultrum ſumat, ac periculum in viperâ aliqva faciat: certè fidem dictis dabit.

§. III. (3.) *Ex ductus ab ore ad uterum usq; in fœmellis carentiâ:* Qvæcunqve animalia nullum *ab ore* ad uterum habent ductum, illa ore coire neqveunt: atqvi viperæ ab ore ad uterum nullum habent ductum; Ergo. *Major* conſtat, qvia alias conceptio illa eſſet fruſtranea, ſi ſemen in *uterum* non deſcenderet. In hoc enim diſponitur & debito modo elaboratur ſeminalis maſſa. *Minorem* confirmat Anatomia, cui fidem denegare, inſipientis eſt. Hinc & *Ariſtoteles* lib. 3. de Gen. Anim. cap. 5. tradit, qvod neq; piſces, neqve ulla animalia ſemine per os impleantur, ob tranſitus ſcilicet negatos.

§. IV. (4) *Ex*

§. IV. (4) *Ex viæ à pene & testibus ad os in maribus absentiâ.* In qvocunq; à pene & testibus ad os usq; nulla datur via, ille per os semen exspuere neqvit: atqvi in viperâ mare à pene & testibus ad os usqve nulla datur via; Ergo. *Majorem* nemo, physicarum rerum peritus, negabit, nec negare potest. *Testes* enim sunt, in qvibus perfectum elaboratur semen. De *Minore* iterum testatur experientia optima rerum magistra.

§. V. (5) *Ex absurdi conseqventiâ.* Qvæcunq; ore coëunt, illorum semen in ventriculum feratur, necessum est: atqvi vipera (juxta adversarios) ore coëunt; Ergo viperarum semen in ventriculum feratur, necessum est. *Major* probatur, qvia meatus qvi per os intro tendit, in ventriculum fertur, non in vulvam, prout testatur tota Anatomicorum Schola, cujus testimonia qvi rejicit, contrarium demonstret. *Minor* ipsorum contradicentium est. Ergo. Porrò: Qvicqvid in ventriculum descendit, illud vel concoqvitur, vel excernitur; atqvi viperarum semen in ventriculum descendit, ut modo probatum; Ergo viperarum semen vel concoqvitur vel excernitur. Si hoc, vel nihil generatur, vel ex concoctâ & excretâ ma-

tâ materiâ vipera producetur. Qvod utrumq; *absurdum*.

§. VI. Nunc ad alterum, qvod circa coitum occurrit, qvæsitum confirmandum pergo: *An videlicet fœmella vipera caput maris in coitu detruncet?* Et hoc ipsum etiam est, qvod nego, motus certissimâ *experientiâ*, qvam nunqvam non hîc laudo. Exhibet autem illam nobis *Pierius Valerianus* l. d. expresse asserens, *utriusq; sexus viperas* capsulis inclusas fœtus suos progenitos educasse, *utroq; parentum salvo*. Qvid? tota Italia omniaqve ferè ejus pharmacopolia viperas in vitreis ostendunt vasis, mares & fœminas, qvarum neutra exclusis catulis periit.

ARTICULUS II.

VERAM PARTUS rationem demonstrans.

§.

Qvod itaq; *vipera* more cæterarum animantium pariat, neq; ordinariâ naturæ lege à catulis suis perfossa intereat, sed iis exclusis adhuc salva supersit; hoc ex manifestissimâ iterum probo *experientiâ*. Unde hunc in modum contra

adversarios argumentor: Qvicqvid veræ verè contradicit experientiæ, illud veritatis studioso non est asserendum: atqvi catulos viperarum alvum in partu, ordinariâ naturæ lege, perfodere, veræ verè contradicit experientiæ; Ergo. *Major* suâ luce lucet. *Minor* ex seqventibus patet. *Apollonius* ap. *Philostratum* l. d. conspectam sibi ait viperam, catulos lambentem. Qvomodo igitur à filiis transfixa erit? Idem expertus illustris *Scaliger*. Sic enim Excerc. 201. p. 646. *Viperas*, inqvit, *ab impatientibus moræ fœtibus numerosissimis atq; idcircò erumpentibus rumpi atq; interire, falsum esse scimus: qvi in Vincenti Camerini circulatoris ligneâ Thecâ vidimus enatas viperillas parente salvâ. A. Lacuna* in Dioscoridem testatur, visas à se Romæ in ædibus *Gilberti* Medici apprimè docti, viperas plures, cæterarum animantium more coire, parere fœminas nulla illata per natos ventris noxâ, & viperam viventem educare natos suos. *Amatus Lusitanus* lib. 1. in Dioscor. eandem adducit experientiam hisce verbis;

verbis: *Vidimus nos, & plures alii experientiâ comprobarunt: viperas prægnantes pyxidibus inclusas parere, quæ inde ex partu nec mortuæ, nec visceribus perforatæ manserunt, immò potius illæsæ, quæ ut prius in dies multos perdurarunt.* *Franciscus Ferrariensis* de Cordova Didasc. 10. refert, à Collegii Romani Societatis Jesu Patribus experimenti gratiâ, conclusam in vitreo vase prægnantem viperam fœtum edidisse sine ullo alvi violatu: fœtus autem tantisper ibidem fovisse, dum iisdem observatoribus fuerit visum. Qvam eandem observationem sibi qvoq; factam testatur *Cornel à Lap.* in Matthæum. Nec minus *Joannes Veslingius* in Epist. ad Marcum Aurelium Severinum p. 245. Oculatum sese hujus rei jactitat testem, qvando scribit: *Vidi apud Pompejum Sprecbium Venetum, materiæ medicæ curiosissimum virum, inclusam vitreo vasi viperam, quæ plures catulos pepererat, alios tenui membrana, tanqvam amnio velatos,*

 alios

gulas servant longinqvitati corporis respondentia. Opinatur Aristoteles, viperam catulos eniti singulis diebus singulos, suumq; partum ad vigesimum extendi diem. Præterea primos excludi in membranis, qvas ipsi derodunt sextâ die, cæteris verò morantibus abrumpi membranam involutam in claustro matris. Veruntamen, ut dictum est, vidimus nos partus omnes uno die membranis contectos, qvas ipsi paullò posterius à partu disrumpunt & sexto die rejiciunt ab se tuniculam, qvæ illis est senectæ vice. Hæc *Imperatus*. Qvibus adjungere expedit *Matthioli* testimonium, non ultimo loco habendum. Exprimitur autem illud lib. 2. in Dioscor. cap. 16. seqventibus verbis: *Marsi, qvi serpentium domitores se prædicant, qviq; falsò ex Divi Pauli prosapiâ se originem duxisse gloriantur, viperam Marasso vulgò appellant, utq; majorem cum spectatoribus ineant gratiam, sæpissimè viperinos dentes, longos, acumipatos atq; mortiferos osten-*

tant conditos (ut Plinius inqvit lib. 11. cap.36.) gingivis atq; membranulâ qvadam circundatis, lethali veneno referta. Qvin & viperarum nuper editos fœtus ostendunt, qvos viperæ suis aluntin capsulis, qvibus eas deferunt; nec tamen illi matris viscera scindunt. Plura huc referre possem experimenta, meam sententiam corroborantia, si opus iis esse videretur. Interim legi eadem possunt apud sæpius citatos Auctores, inprimis ap. *Abbatium*, *Severinum*, & alios.

SECTIO IV.

ΑΝΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Rationes adversariorum refutans.

ARTICULUS I.

Argumenta pro COITU orali examinans

OBJECTIO I.

§. I. *Qvicqvid testatur experientia, negandum non est: atqvi viperas ore coire, testatur experientia; Ergo.* Minorem ex supra, membro I. citatis auctoribus probant.

SOLUTIO

SOLUTIO.

§. II. Resp. (1) Distingvendum est inter id, qvod fit ἀληθῶς, & qvod φαινομένως. (2) inter *experientiam rectè intellectam*, & *falsò conceptam* (3) inter *osculum*, & *coitum*. His præmissis limito *Majorem* h. m. Qvicqvid ἀληθῶς testatur *experientia rectè intellecta*, illud verum est. Sic verò nego *Minorem*. Nam *apparet* saltim, *viperas ore coire*, idq; propterea, qvia *ore oscula* figunt, qvæ sanè cum ipso *coitu* non sunt confundenda. Adeoq; *experientia* illa, qvam semper crepant adversarii, non *rectè intelligitur*; sed *falsò concipitur*.

OBJECTIO II.

§. III. *Si Mustelæ auribus possunt concipere, & ore parere, si corvus & ibis & pisces ore concipiunt, non impossibile est, viperas qvoq; ore congressum exercere conjugalem: atqvi verum est prius; Ergo & posterius.* *Minorem* probant. Et qvidem qvod ad pisces attinet, *Ægyptios* qvondam de piscium coitu & partu ita sensisse, *Vossius* in Theol. Gentil. lib. 3. cap. 54. p. 1022. existimat. Qvos apud forsan etiam vixit *Aristeas*, ὑποβολιμαῖος ille Hellenista,

nista, qvi eandem de mustela perversam tenet mentem, lib. de Interpretat. τῶν ἑβδομήκοντα ita scribens: Διὰ τῶν ὤτων συλλαμβάνει (sc. γαλῆ) τεκνοποιεῖ δὲ τῷ στόματι. Vid. *Ovidius* lib. 9. Metamorph. fab. VI. Deinde *corvi & ibidis* conceptionem oralem refert *Plinius* lib. 10. cap. 12. *Ælianus* lib. 10. cap. 29. *Solinus* in Polyhist. cap. 35. *Marcellinus* lib. 22.

SOLUTIO.

§. IV. Resp. (1.) ad *Majorem*: non disputo de *posse*, sed de *esse*. Hinc committitur turpis *elenchi ignoratio*. (2) ad *Minorem*, eandem negando. Nam (*a*) *falsum, mustelam auribus concipere & ore parere.* Præditæ enim sunt *vulvâ*: nec ullam habent *viam*, per qvam semen *ab auribus ad uterum* descendere, aut partus *ab utero ad os* ascendere possit, ut ex Anatomicis constat. Qvomodo igitur auribus concipient? Qvomodo ore parient? Nata autem fabella videtur exinde, qvia mustelæ pusillos pariunt fœtus, eosqve velut alia animantia de loco in locum transferunt. Conf. Aristot. lib. 3. de generat. Anim. cap. VI. (*b*) *Falsum est, pisces ore coire.* Ipse enim ego, ut rei

hujus certitudinem cognoſcerem, ſuperiori anno in *Academia* piſciũ anatomen inſtitui, multaqve, ab Ariſtotele aliisq; aſſerta, manifeſto falſa deprehendi. Imprimis verò (ut ea tantùm recitem, qvæ ad rem faciunt) obſervavi, nullam viam in iis reperiri ab ore ad uterum, ſed in ventriculum; item fœminas vulvâ in ventris fine, & caudæ initio eſſe præditas, qvæ duos annexos habet ductus: alter in uterum tendit, alter in inteſtinum rectum, excrementorum receptaculum. Exinde igitur collegi, piſces, inſtar cæterorum brutorum, non ore, ſed genitalibus congredi & poſſe & debere. (*c*) *Falſum etiam eſt, qvod de corvi & ibidis conceptione fabulantur.* Nam ſi ore conciperent, ſemen in *ſtomachum* deſcenderet, ubi nulla generatio perficitur. Adhæc *vulvas* qvoqve ac *ova* habere compertum eſt. Num igitur fruſtra? cave dixeris. Qvid? qvod & experientia contrarietur. *Albertus* enim ap. *Voſſium* c. l.l. 3. cap. 78. p. 1152. teſtis eſt, *corvos duos Avicennæ* viſos eſſe, more aliarum avium congredientes. Cæterùm ex eo ſtultam hanc opinionem ortam putat *Ariſtoteles*, qvod *coitus corvorum* raro videatur, ſed ſæpè *conjunctio roſtrorum*, ut in monedulis atq; columbis. Sed *Albertus* colligit, eam *tùm* ex oſcu-

 lis

lis esse profectam, *tum* qvia non coëant, nisi ante lucem, vel crepusculo, ut eò homines fugiat.

ARTICUS II.

Objectiones pro PARTU fabuloso dissolvens.

§. I. Hîc iterum urgent *experientiam*, dicentes, catulos aliqvando visos esse perforare matris alvum. Confer ea, qvæ supra adduxi auctorum testimonia.

SOLUTIO.

§. II. Verùm præter supra art. 1. §. 1. datam responsionem, distingvendum (1) inter id, qvod fit *per se, & communi naturæ lege*; & inter id, qvod fit *per accidens & præter vel contra svetum naturæ ordinem.* (2) *inter particulare & universale* (3) *inter disruptionem, & perfossionem.* Non inficias eo, *per accidens* fieri posse, ut catuli alvum matris perforent; at verò qvod *per se & secundum communem naturæ legem* hoc factum perpetretur, hoc nunqvam affirmare possum. Neq; tamen statim colligendum: *Viperæ nonnunqvam in partu perforatæ occubuerunt; Ergo semper idipsum contingit*

git. Nam à particulari ad universale N. V. C. Qvanqvam potius dicendum videatur, uterum viperarum, si læsus inveniatur, *non à catulis perfossum, sed ob multitudinem fœtuum disruptum esse*, Qvæ duo distinctissima esse, supra §. ult. *Status Controv.* notavi.

OBJECTIO II.

§. III. Deinde *Patrum* qvoqve nonnullorum suffragio suam de viperis opinionem probam reddere conantur. Producunt enim *S. Chrysostomum, Hieronymum, Basilium, Augustinum, Athanasium*, qvorum verba ex parte supra citavi. Allegant & alios numero complures, qvorum auctoritatibus omnibus sigillatim recensendis nunc supersedebo.

SOLUTIO.

§. IV. Resp. (1) *Patres* fuerunt *homines*; humani ergo nihil ab ipsis alienum esse potuit, Cum verò noster intellectus per peccatum primævum in cognoscendo vero adeò sit obscuratus, ut in luce rerum tenui caligemus, in mediocri coecutiamus, in maximâ insaniamus (ut eleganter *Scaliger*) adeoq; facilè bipatentem errorum portam incurrere qveamus

amus; qvid mirum, si & *S. Patres* non nunqvam, præsertim in naturalibus, à regiâ veritatis aberraverint. (2) Interim tamen sciendum, qvando *Patres* nonnulla *ex scientia naturali* petunt, qvibus suas exornent orationes faciliusqve ac felicius animos auditorum flectant; qvod tum, monitore *Vossio* l. c. non tam spectari debeat, *qvo cum aliqvid confertur*, qvàm *qvod confertur*, hoc est, cujus gratiâ comparatio instituitur. Nam *S. Patres* multa de natura ac moribus brutorum aperte falsa tradiderunt, v. g. de *Pelecano, emortuos pullos sangvine resuscitante. &c.* Idqve eum ob finem, ut vel virtutes hominum animis instillarent, vel ex iis vitia exstirparent, vel alia divina mysteria inculcarent.

OBJECTIO. III.

§. V. Tertiò *auctoritatem Philosophi* nobis obvertunt, qvi lib. 5. Hist. Anim. cap. ult. *Vipera, ait, è serpentibus una animal edit, cùm intra se ova primum pepererit. Ovum hoc unius coloris & molle, ut piscium est. Fœtus supernè consistit: nec cortice continetur, sicut nec piscium qvidem. Parit catulos obvolutos membranis, qvæ tertia die rumpuntur,*

tur. Evenit interdum, ut, qvi in utero adhuc sunt, abrosis membranis, prorumpant: singulos singulis diebus parit, plures qvàm viginti.

SOLUTIO.

§. VI. Resp. Nusqvam suis *Aristoteles* minùs, qvam hîc patrocinatur. Nec aliud qvicqvam dicit, qvàm qvod ultimæ viperulæ adhuc in matris utero degentes sua abrodant involucra, ante qvam prorumpant. Græca verba ita sonant: Τῶν δὲ ὄφεων ὁ μὲν ἔχις, ἔξω ζωοτοκεῖ ἐν αὑτῷ, πρῶτον ᾠοτοκήσας. Τὸ δὲ ᾠὸν, ὥσπερ τῶν ἰχθύων, μονόχρουν ἐστὶ, καὶ μαλακόδερμον. Ὁ δὲ νεοττὸς, ἄνωθεν περιγίνεται, καὶ οὐ περιέχει φλοιὸς ὀστρακώδης, ὥσπερ οὐδὲ τὰ τῶν ἰχθύων. Τίκτει δὲ μακρὰ ἐχίδνια ἐν ὑμέσιν. οἳ περιῤῥήγνυνται τριταῖοι. Ἐνιότε δὲ καὶ ἔσωθεν διαφαγόντα, αὐτὰ ἐξέρχεται. Τίκτει δ' ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ καθ' ἕν. Τίκτει δὲ πλείω ἢ εἴκοσιν. Hæc *Aristoteles*. Ex qvibus qvomodo fi-

ctitius

ctitius ille viperarum partus stabiliri possit, non constat. Qvod si tamen divinando aliqvid conseqvi possum, forsan decepti sunt boni viri vocabulo διαφαγόντα, à διαφάγω *absumo, exedo*, qvod non ad *matris alvum*, sed *catuli membranam* referendum. Et qvomodo qvæso, consentient cum Magistro partus hujus viperini defensores, cùm *Aristoteles* clarè dicat, viperas singulos singulis parere diebus? Si enim hoc, qvomodo pariet, qvæ perforata atq; interemta est, vipera? Qvomodo operabitur, qvæ principio operationis destituitur; Confer ad citatum *Aristotelis* locum, *Nicolaum Leonicenum & Aurelium Severin.*

OBJECTIO IV.

§ VII Deniq; & illud reponunt, qvod *Romani* qvoq; hac opinione imbuti fuerint, dum *gallum, canem, simiam & viperam* culeo inseruerint cum *parricida*. Idq; non nisi ideo; qvia similiter *viperæ catuli interimunt parentem suam.*

SOLUTIO.

§. VIII. Resp. (1) Qvasi verò *Romanorum auctoritas* qvicqvam *veritati* præjudicare

judicare possit, aut debeat! (2) *Veteres Romani magis* intelligentes erant *rei familiaris & militaris*, qvàm *naturalis scientiæ*. Sed manum de Tabula, qvia satis de fabula.

CAPUT V.

DE CHAMÆLEONTIS VICTU.

AN CHAMÆLEON SOLO AERE, VEL ODORE, VEL RORE NUTRIATUR ET VIVAT?

Neg.

SECTIO I.

ΠΡΟΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Diversas Auctorum sententias recitans.

§. I.

C*Hamæleontem solo aëre vivere* olim asserebat *Plinius* lib. 8. c. 33. *Ipse celsus*, inqviens, *hianti semper*,

per ore, solus animalium nec cibo nec potu alitur, nec alio qvàm aëris alimento. Seqvitur hunc simia ejus, *Solinum* puta, cap. 53. Polyhist. p. 173. ubi ita de Chamæleonte: *Hiatus ejus*, ait, *æternus, ac sine ullius usus ministerio: Qvippe cùm neqve cibum capiat, neqve potu alatur, nec alimento alio, qvàm haustu aëris vivat. Solinum* excipit *Georgius Agricola* lib. de Animant. Subterran. qvanqvam hic ex relatione tantum alienâ sapiat. Sic enim inqvit: *Chamæleon aurâ perhibetur ali.* p. 49. Idem statuit *Ovidius* lib. 15. Metamorph.

Id qvoq; qvod ventis animal nutritur & aura,
Protinus assimilat tetigit qvoscunqve colores.

Cum qvo facit etiam *Alciatus* in Embl.

Semper hiat, semper tenuem qvâ vescitur auram
Reciprocat Chamæleon

Nec diversum sentit *Joh. Ursin.* dum canit:

Non timor, imò cibus, nimirum limpidus aër
Ambo simul vario membra colore novant.

§. II. Non-

§. II. Nonnulli verò, teste *Keckermanno Syst. Phys. lib. 3. cap. 5.* statuunt, Chamæleontem *odore* sustentari atq; ali.

§. III. Alii putant, nutriri *rore*, ut *Gesner.* de Qvadrup. ovip. p. 5. *Chamæleontem solo aëre nutriri falsum est: qvoniam interiora, ut Aristoteles inqvit, similia omnia habet lacertæ, qvam non solo aëre nutriri constat: qvare melius puto, Chamæleontem rore nutriri ac vivere, ut Theophrastus ait.* Sed paulo post addit etiam *muscas*: qvod eqvidem concedo, cum in muscis sit materia alimenti, vel restaurationis absumti humidi radicalis, aliud nempe calidum Innatum. Verùm ros nudus rem præsentem non conficit, qvod deinde probabo.

§. IV. Sunt & alii, citante *Jonstono Thavmatograph. Nat. class. 7. cap.* 13. dicentes, Chamæleontem obversum ad solem haurire *radios*, eosq; hiantem seqvi.

§. V. Verùm hæc omnia negant accuratiores rerum naturalium scrutatores, *Tholosan.* Syntagm. Art. mirab. Tom. 2. lib. 35. c. 10. *Scaliger* Exerc. 196. pag. 635. (qvi tamen falsò asserit, aërem Chamæleonti aliqvandiu pro cibo esse) *Johann*

Brodæus lib. 6. Miscell. c. 21. *Petrus Bellonius* observat. lib. 2. p. 24. *Vossius* Theol. Gentil. lib. 3. c. 55. p. 1025. *Jonston.* H. A. de Qvadrup. p. 199. qvanqvam in Thavmatogr. Nat. diversum sentire videatur. Huc pertinet *Peirescius* ap. Eund. Jonston. H. A. l. d. *Sengverd.* Exerc. 39. p. 160. *Casmannus* Somatolog. cap 17. p. 554. *Casp. Bartholin.* Controvers. de Inf. Ventr. qvæst. 2. *Deusing.* de Nutrit. Animal. p. 65. *Breuning*, Oriental. Reise anderer Meerfahrt/ c.17. & 26. *Pontan.* lib. 2. progym. 98. Atq; hanc negativam sententiam ego qvoq; hoc capite confirmabo, si prius statum controversiæ formavero. Sit itaq;

SECTIO II.

ΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Statum controversiæ explicans.

§. I.

PRimò omnium hîc notanda (1) *Etymologia*, secundum qvam *Chamæleon* dicitur à χαμαὶ *humi*, & λέων *leo*, adeoqve notat *parvum & humi serpentem leonem*, qvem animal istud qvodammodo repræsentare ajunt. Ridiculus autem *Isidorus*

dorus eſt, dum vocem hanc à *Camelus* & *Leo* deducit. Hæc enim mera eſt *alluſio*, non vera *Etymologia*.

§. II. (2) *Homonymia*. Sumitur autem *Chamæleon* (a) ἀκύρως *tum* pro *vivo vegetante*, pro *herba* ſcilicet in carduorum cenſu, ſic dicta, ut *Plinius* ſcribit, à varietate caloris, mutat enim cum terrâ colores, hic niger, illic viridis, alicubi cyaneus, alicubi croceus atq; aliis coloribus. Vid. *Matthiol. in lib. 3. Dioſc. c. 8. p. 317*. Tum pro *vivo ſentiente*, *Stellione* nimirum ap. *Iſidorum*, *Avicennam*, *Albertum* & alios. *Albertus de animal. 2. 1. 5. Hamaleon*, inqvit, *eſt animal, qvod nos ſtellionem vocamus majorem*. Et circa finem illius capitis, cùm Chamæleontem *Ariſtotelis* verbis copioſè deſcripſiſſet, ſubjicit: *Hoc autem animal certò eſt de genere ſtellionis, illud ſcilicet, qvod vulgo draconem vocant, noſtrates* Lindwurm &c. Sed hæc omnia magnam *Alberti* inſcitiam arguunt. Nam differunt *Chamæleon* & *Stellio*, propriè loqvendo, non *locorum* varietate modo, ſed & *propriorum* diverſitate: *Ille* in Africa & Indiâ, habitat potiſſimū, *Hic* in Italiâ & Thracia; *Ille* colores in corpore ad objecta mutat obvia, *Hic* in tergo notas lucentes

instar stellarum habet, ut videre licet ap. Sperling. *Zool. lib. 5. cap. 30. ax 2.* (β) Κυρίως, pro *animali gressili, timidissimo, coloremq; subinde mutante.* Atq; sic h. l.

§. III. (3) *Synonymia.* Sic Germanis dicitur Ratten Eidex, ex *ratto* mure, qvem magnitudine & caudâ refert; & *lacertâ*, qvam reliqvâ speciè, bonâ ex parte repræsentat.

§. IV. Est autem *Chamæleon* (ut ad rem ipsam deveniam) *brutum gressile, timidissimum, in gressu tardum, perpetuo ferum, & pro diversitate colorum diversos induens colores.* Dico, *Chamæleontem* esse (1) *brutum gressile*: qvia more reliqvorum qvadrupedum progreditur. (2) *timidissimum*: qvia laborat inopiâ *sangvinis*; In sangvine autem calidi existunt *spiritus*; in spirituum copiâ *fortitudo* atq; audacia sita est. Non eqvidem ignoro, qvosdam *timiditatis* hujus causam referre ad *magnitudinem cordis*. Verum fallit sententia illa vulgata: *animalia magni cordis timida esse, animalia parvi cordis audacia.* Non enim omnia parvi cordis sunt audacia, nec omnia audacia sunt parvi cordis. Canis longè majus cor habet ratione cæterorum membrorum, qvàm eqvus ratione suorum.

Neq

Nec tamen canis timidior eqvo eſt. Ipſe qvoq; homo cor magnum habet ſecundum proportionem reliqvorum membrorum. Omnium ergo animalium eſſet timidiſſimus. At contrà, pauca animalia ſunt, qvæ homine timidiora non ſunt. Ipſa qvoq; hominum individua ita ſe non habent, ut qvanto cor minus in iis ſit, tanto major audacia ſit: & qvanto cor majus, tanto major timiditas. Qvantitati ergo cordis imprimis ſpiritus addendi ſunt. Ubi nempe ſunt ſpiritus multi & calidi, ibi magna eſt audacia, qvamvis magnum ſit cor. Et ubi ſunt ſpiritus pauci, ibi magna eſt timiditas, licet parvum ſit cor. Ubi verò ſpiritus ſunt plurimi & calidiſſimi, ac cor parvum, ibi ſumma eſt audacia. Vid. *Sperling. Inſtit. Phyſ. lib. 8. cap. 8. p. 1120.* Sed pergo & dico (3.) *Chamæleontem eſſe tardum*: qvia tardum & pigrum habet inceſſum, *Nieremb. H. N. lib. VII. cap. XL.* Immò motus ejus adeò piger, ut teſtudinis, juxta *Ariſtot. l. 2. Hiſt. An. c. 2. & Plin. lib. 8. H. N. c. 33.* Porrò addo (4) *eſſe ferum:* qvia non poteſt cicurari, ideoq; *Nierembergio* l. c. perpetuo audit ferus. Deniq; (5) *pro diverſitate objectorum varios induere colores.* Sic enim αὐτόπτης *Breuningius. l. c.*

Es verändert seine Farbe offtmahls: Da es auff der Erden lauffet / so ist es Erdfarb: Da es aber auff grünen Gesträuche oder im Graße / so ist es grün / setzet man es auff etwas blaues / so nimmt es dieselbe Farbe auch an / auff schwartzen ist es schwartz / und also auch von andern Farben / also daß es augenscheinlich / nach dem es auff unterschiedliche Farben gesetzet / in ipso momento die eine verlieret und die andere annimmet. Qvæ vero sit hujus rei causa? & num omnes induat colores? de eo alibi, Deo volente, agam prolixius. Cæterùm corpus hujus animalis lacertæ simile est. Nisi qvod juxta *Aristot. l. 2. H. A. c. XI.* elatior à terrà sit, qvam lacerta, sed inflexus *crurum*, perinde ut lacertæ, *oculis* profundis & cavis, prægrandibus & rotundis, obducti simili cute atq; reliqvum corpus, mediâ sui parte perqvam exiguâ detecti, qvâ videat. Hianti semper est *ore*, habet *latera* deorsum ducta, qvæ *ventri* junguntur ut piscibus, & *spinâ* simili modo, eminet *rostrum* similæ porcariæ simillimum, *cauda* prælonga in tenuitatem desinens & implicans se viperinis orbibus, *corpus* asperum ceu crocodilo, caret *liene* conspicuo, non nisi in capite & maxillis habere dicitur *carnem. Nieremberg. l. 7. H. N. c. 16. Altitudine* est palmari, *longitudine* sesqvi palmum

mum non excedente. *Habitat* plerumq; in fruticibus, *Breuning. l. c.* immò subit cavernas more lacertarum, *Aristot. l. 2. H. A. c. 11. Plin. lib. 8. H. N. c. 33. Aëre*, vel *rore*, vel *odore* vivere dicitur; sed malè: uti deinceps probabo. Interim

§. V. (1) Distingvendum inter *abstinentiam à cibo in totum* & in *tantum*. Concedo, qvod *longo tempore* vivat *sine cibo*. Sic *Petrus van den Broeck* Chamæleontem habuit, qvi ultra *duos menses* nullum aliud alimentum assumeret, ut in ipsius *Itinerar.* videri potest. *Petrus* etiam *Bellonius lib. 2. Obs.* tradit, illum plus qvàm per *integrum annum*, sine alimento de novo assumto posse vivere. Hoc autem contingit tum propter insitum calorem valde remissum, minùsq; adeo humidum radicale depascentem; *tum* ob humidi interni constitutionem pertinacem minusq; dissolubilem: qvod ipsi commune est cum gliribus, ranis, ursis, aliisq; variis animalibus, qvæ in cavernis, ut inqvit *Averr. 2. de Anim. t. 5.* thesaurizant totâ hyeme, nihil assumendo; suo namq; humido intrinseco talia animalia nutriuntur. Nego autem, qvod *in totum* cibum negligat, vel nullo alio utatur, qvam aëris alimento, Nam

§. VI. (2) Dist. inter *aëris attractionem*, & *ejusdem nutritionem*. Verum est, *chamæleontem aërem attrahere*, *dum respirat*: qvod etiam homines faciunt, licet ille *attractus aër* non sit *respirationis materia*, uti in *Deliciis* meis *Physicis* docui. Falsum autem est, *aërem nutrire Chamæleontem*. Porrò

§. VII. (3) Dist. inter *aërem purum*, & *impurum*: inter *aërem spectatum ratione sui*, & *ratione corporis admixti*. Potest *utcunq; alere* atq; reficere *aër*, sed qvatenus subinde *alimentosis halitibus* est perfusus. Hi enim, dum inspiratione identidem attrahuntur, facillimè in spiritum vitalem atq; animalem vertuntur, nec multiplici concoctione, qvam solidiora alimenta reqvirunt, confici opus habent: Unde & *Galen. comm. ad aph. 11. sect. 2. ex Hippocrat. lib. de Aliment.* Qvi celeri alimenti appositione egent, inqvit, humidum ipsis optimum colligendis viribus remedium, qvod si adhuc multò celeriore egeant, *odoribus* sunt recreandi. Atq; sic aliqvo modo chamæleontem etiam nutriri posse, haud improbabile est: qvia exiguo calore præditus est. Ubi tamen

§. VIII. (4) Dist. inter *nutritionem propriam*, & *impropriam*. Hoc, non illo

lo modo *odores* nutriunt, qvatenus nimirum spiritum atq; adeò cor etiam, spirituum fontem, blando qvodam halitu, qvem ferunt, perfundunt, atq; ita fovent & reficiunt, ut calidum & humidum nativum ad tempus ita sustentari possit. Unde

§. IX. (5) Dist. inter *spirituum refocillationem*, & *verum nutritionem*. Illa *odorum actio* potius *refocillatio spirituum*, qvam *nutritio* dicenda est. Præterea

§. X. (6) Dist. inter *rorem* consideratum *ratione sui*, & *ratione alimenti admixti*: Ros *nudus* haud potest *nutrire*, qvia *meteoron aqveum* est; at verò *alia corpora rori admixta* aliqvam *nutriendi* efficaciam habere, non est negandum. Deniq;

§. XI. (7) Dist. inter *entia realia*, & *intentionalia*. Ad hæc, non ad illa *radii* pertinent: qvia vitra aliaq; corpora minus opaca permeant, aëremq; illuminant. Vid. Sperling. *Inst. Phys. l. 3. p. 513.* adeoq; nutrire neqveunt.

SECTIO III.

ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Negativam sententiam confirmans.

ARTICULUS I.

Docens, falsum esse, qvod Chamæleon aëre nutriatur.

§. I. Hoc probo (1) ab Experientiâ. *Qvicqvid enim experientia confirmat, negandum non est: atqvi Chamæleontem muscis, locustis aliisq;, non autem aëre vivere, confirmat experientia; Ergo negandum non est.* Major extra controversiam est. Minorem probo seqventibus: *Johannes Landius*, teste *Scaligero Exerc.* 196. §. 4. vidit, Chamæleontem ex suo pectore muscam legisse. Verba *Scaligeri* ita sonant: *Joannes Landius in ultima Syria cum esset, ait, se vidisse unum è qvinq;, qvos emerat, Chamæleontibus, lingvæ repentino momentaneoq; jaculatu muscam, qvæ in ejus erat pectore, legisse. Vossius* l. c. *Diu qvidem*, inqvit, *Chamæleon famem tolerat; non tamen in totum cibo abstinet. Ore enim hianti, lingvâq; muco semper obsitâ, captat muscas, formicas,*

micas, scarabæos, locustas, ac similia insecta, eaq; comedit ------. Ipse id comperi Dordrechti in Chamæleonte, quem in horto haberet compater meus, Franciscus Persinius, Archiater urbis ejus, ac una mecum amplissimus vir & affinis conjunctissimus, Jacobus Corputius Senator Dordrechtanus, & ante hac in Collegio præfectorum rei maritimæ delegatus: ut cæteros prateream, rerum qvoq; talium curiosos. Hæc ille. Addo testimonium *Bellonii lib. 2. Observat. cap. 25.* Ubi de Chamæleontibus hæc recitat: *Vescuntur muscis, erucis, scarabæis, & locustis, serpentum more, qvi omnis generis parva insecta devorant, qvæ sæpenumero anatome facta in eorum ventriculis invenimus.* Voco in has etiam partes αὐτόπτην *Breuningium* loc. cit. inqvientem: Wenn es will essen / so schiesset es die Zunge (die rund ist gleich den Grünspechten) wohl eines halben Schuhes lang heraus / damit es denn die Mücken / Heuschrecken / Käfer / Bremsen / Grillen und dergleichen insecta erwischet / an sich ziehet und verschlinget. Nec minus *Peirescium*, qvi, teste *Jonstono in H. A. de Qvadrup. p. 199.* Octo Chamæleontes aluit, de qvibus refert, qvòd vermiculis, qvi ex farinaceis mactris colliguntur, admodùm delectati fuerint.

erint. Eadem confirmat *Gesnerus* l. 2. de Qvadr. Ovip. p. 5. *Ipse*, inqviens, *à qvodam, qvi vivum habuerat, cujus sceleton mihi tradidit, audivi observatum sibi, aliqvoties muscas ab eo devorari, qvas longâ lingvâ exertâ involutas (aut forte transfixas, ut jynx sua lingva formicas figit) arriperet.*

§. II. (2) Ex instrumentorum, cibo assumendo destinatorum, præsentia. Unde ita argumentor: *Qvodcunq; animal donatum est à naturâ instrumentis, cibo assumendo destinatis; illud procul dubio etiam iisdem utitur atq; edit: Sed Chamæleon donatus est à naturâ instrumentis, cibo assumendo destinatis; Ergo Chamæleon procul dubio iisdem utitur atq; edit:* Major inde constat, qvia *Natura nihil facit frustra*, *Aristot.* lib. 1. de Cœlo cap. 4. Minor probatur, qvia lingvâ præditus est: uti constat ex iis, qvæ *Scaliger l. c.* ex Landio adducit. *Propterea*, inqvit, *illius à se dissecti lingvam narrabat inventam palmi longitudine, cavam, inanem. In summa tanqvam acetabulum cum mucco, qvo prædam tolleret.* Sic etiam *Brodæus* Miscell. lib. 6. cap. 21. *Lingvam sesqvipalmum longam habens, eam in insecta, qvibus maximè vescitur, exerit*

exerit ac vibrat: ejusq; mucore scarabæos, locustas, formicas, muscas ad se adducit. Multos tamen menses famen tolerare cuncti fatentur. Cum igitur natura (verba sunt CL. *Sengverdii*), qvæ deficere non solet in necessariis, nec abundare in superfluis, nec aliqvid frustra facere, etiam huic animali, membra cibi assumtione destinata, & lingvam adeo longam, muccosa etiam substantia ad prædam tollendam, præditam, concesserit; dubitari non potest, qvin etiam iis alia corpora in alimentum assumat. Lingva enim animalibus conceditur ad gustandum.

Neq; verò *lingva* tantum, qvâ *muscas, erucas &c.* venatur, in hoc animali datur, sed etiam illud præditum est *ventriculo* & *intestinis*, partibus coctioni cibi inservientibus. Testatur illud *Bellon. lib. cit. cap. 34.* Cujus verba, qvia varia de Chamæleonte aperiunt, visum fuit adjungere. Sic igitur scribit: *Chamæleontes prædam facere cupientes, lingvam semipedalem exerunt teretem instar lingvæ pici Martii, lumbrico terrestri similem, in cujus extremo spongiosus qvidam & glutinosus nodus est, qvô insecta, ut locustas, erucas, muscasq; capiunt, & in os*

in os attrahunt. Ipsam autem exerentes, tam validè tantáq; velocitate vibrant, qvàm sagitta ab arcu emitti possit. Natura frustra huic animali lingvam, ventriculum & intestina tribuisset, si edendi usum illi ademisset, ut pleriq; arbitrati sunt. Concludo itaq; verbis *Breuningii:* Weil nun solche Thiericin eine Zunge / Magen / und Ingeweide / auch erst specificirte insecta, da sie auffgeschnitten / wie wir selbst gesehen / bey ihnen gefunden / so sind die jenigen nich recht daran / die dafür halten / daß der Chamæleon nicht esse / sondern vom Lufft lebe.

§. III. (3.) Ex Chamæleontis essentia. *Omne animal cibo opus habet: atqvi Chamæleon est animal; Ergo Chamæleon cibo opus habet:* Minor indubitatè vera est. Majorem verò probo: Qvicqvid habet *vitam*, illud etiam habet *calidum innatum:* qvia hoc est *vitæ vinculum:* atqvi omne animal habet *vitam*; Ergo omne animal etiam habet *calidum innatum.* Porro: Qvicqvid habet *calidum innatum*, illud opus habet *cibo*: atqvi omne animal habet *calidum innatum*; Ergo omne animal opus habet *cibo.* Propositio constat, qvia *calidum innatum*, cum semper *absumatur*, *restauratione* indiget:

diget: hæc autem non fit nisi per *simile*, per id videlicet, qvod itidem *calido* qvodam *innato* præditum est, ut sunt *herbæ animalia* &c.

§. IV. (4) Ex aëris ad nutriendum impotentia. *Qvicqvid non potest nutrire, eo etiam non nutritur Chamæleon: atqvi aër non potest nutrire; Ergo etiam aëre non nutritur Chamæleon.* Minorem probo: Nullum *elementum nutrit*: atqvi aër est *elementum*; Ergo aër non nutrit. Majorem hujus prosyllogismi inde confirmo, qvia id, in qvo non est *calidum innatum*, non potest nutrire: atqvi in elementis non est *calidum innatum*; Ergo elementa non possunt nutrire. Subsumtio sua luce lucet. Propositio verò ex ex eo patet, qvod *nutritio* sit ejusmodi *animæ vegetativæ actio, qvâ id, qvod qvotidiè de partibus viventis effluit, ex alimento extrinsecus assumto & in substantiam corporis viventis conversum restauratur.* Jam verò non *elementa* in corpore vivente absumuntur, sed *Calidum Innatum*; Ergo hoc etiam, non elementum, est restaurandum. Qvomodo autem? an per aërem? minime: qvia is in *calidum Innatum* converti neqvit. Verè *Deusingius* l. c. p. 58. inqvit; Qvod ali-

mentum

mentum futurum eſt, debet in temperie materiæ occultisq; proprietatibus, corpori alendo ita eſſe proportionatum, ut non modò mutari à natura, ſed & partium ſubſtantiæ aſſimilari qveat: Hinc *elementa ſimplicia*, licet mutari qvidem à naturâ corporis animalis qveant, ob nimiam tamen diſſimilitudinem partibus aſſimilari neqveunt, ac ideò pro alimentis neqveunt iisdem inſervire: qvod dudum inculcatum ab *Ariſtot. lib. de ſenſ. & ſenſil. c. 5. & lib. 4. meteor. t. 21.* itemq; *3. de Anim. t. 64.* Idemq; colligi poteſt ex *Gal. 4 ſimpl. med. facult. c. 10.* Cum ſapore careant elementa, at qvæ nutriunt, dulci ſapore maximè nutriant: atq; ita *Hipp. l. de Cord.* loqvens de *Aëre & Aqva*, *Non enim humanæ Naturæ alimenta hæc ſunt*, inqvit, *qvomodo enim hominis alimentum ſunt ventus & aqva?*

§. V. (5) Ex ipſâ Adverſariorum ſententiâ. *Solinus* enim in Polyhiſt. l. c. *Sangvinem* in *corculo* Chamæleontis deprehendi aſſerit. Sic etiam *Georg. Agricola* de Animant. Subterran. p. 48. *Sangvinem tantummodo habet in corde, in oculis, in loco cordis ſuperiore, & in venis hinc ductis, atq; in his qvidem perpaucum.* Nec tantùm *ſangvinem*, ſed *carnem* qvoq; ipſi attribuunt.

attribuunt. Hanc enim in *capite* & *maxillis* & postremo *cauda* possidere, *Aristoteles* auctor est, ut & *Plinius*. Ex his ita concludo: *Ubicunq; reperitur sangvis & caro, ibi ejus causa vel adfuerit, vel adsit, necesse est: Nihil enim est à seipso, vel causa sui ipsius; atqvi in Chamæleonte reperitur sangvis & caro*, ut ex dictis patet; *Ergo in Chamæleonte sangvinis & carnis etiam causa vel adfuerit, vel adsit, necesse est.* Qvæ autem causa sangvinis & carnis? an *aer?* absit. Qvicqvid enim non potest mutari in Chylum, id nec potest mutari in sangvinem: atqvi aër non potest mutari in Chylum; Ergo nec in sangvinem. Dicis: *sangvinem à primo ortu esse.* Respond. Esto. Sed unde sangvis ille Chamæleonti communicatus? qvæ ejus caussa? num parentes? Sed hi *efficientes* sunt. Qvæ *materia?* non alia, qvàm *cibus.*

§. VI. (6.) ex Regula Philosophica: *Si aliqvid affirmatur de Minore, multò magis affirmandum est de Majori.* Unde ita argumentor: *Si arbores solo aëre nutriri neqveunt, multò minus Chamæleon: atqvi verum est prius; Ergo & posterius.* Majoris conseqventia fundatur in allegatâ Regulâ. Nam arbores sunt

M Minus

Minus qvid, Chamæleon verò *Majus*: qvia illæ *tantùm* animam habent *vegetantem*, Chamæleon verò præter hanc etiam *sentientem*. Minorem confirmat experientiâ.

ARTICUS II.

Docens, falsum esse, qvod Chamæleon odore nutriatur.

§. I. Patet id *partim* ex supra allatis argumentis, *partim* etiam ex seqventi: *Qvicqvid non est, substantia, eo non potest nutriri Chamæleon: atqvi odor non est substantia: Ergo odore non potest nutriri Chamæleon.* Major probatur, qvia nutritio *est appositio novæ substantiæ ad corpus, de cujus substantia aliqvid decessit.* Minor constat, qvia *odor est qvalitas corporis mixti.* Qvalitates autem non ad substantiæ, sed ad accidentium classem spectant.

§. II. Sed dicis (*a.*) *Q. sensorium replet, est corpus: Odores replent sensorium; Ergo odores sunt corpora.* Resp. Distingv. inter id qvod fit *per se, & per accidens.* Odor replet per accidens sensorium, qvatenus scilicet cum *exhalatio-*

ne

ne conjunctus est. Hinc limitanda Major: Q, sensorium replet, scilicet *per se*, illud est corpus. Jam negatur Minor.

§. III. (β) *Omnes caussæ, qvæ calefaciunt, sunt σωματικαί: atqvi odores calefaciunt cerebrum; Ergo.* Resp. Neg. Majorem. Nam & aqva frigefacit sua frigiditate, ignis calefacit sua caliditate: & tamen neq; frigiditas, neq; caliditas est corpus, sed utraq; est Qvalitas. Vide *Casmannum l. c.* ubi plura reperies, sed qvæ notam merentur.

ARTICULUS III.

Docens falsum esse, qvod Chamæleon rore nutriatur.

Argumentum hoc est: *Qvicqvid est meteoron aqveum, illud non potest nutrire: atqvi ros est meteoron aqveum; Ergo.* Minor patet è definitione roris. Est enim *meteoron aqveum, ex effluvio crassiusculo à frigore debiliore collecto genitum, instar tenuissimarum aqvæ guttularum plantarum floribus & foliis adhærens.* Major constat tum qvia meteoron est accidens; tum qvia aqva ipsa non alit, cum sit elementum; Ergo nec ejus meteoron. Egregiè hanc in rem *D. Tho-*

losanus Syntagm. Art. mirab. Tom. 2. l. 35. c. 10. inqvit: *Non credere oportet, Chamæleontem & cicadas aëre & rore tantùm pasci & vivere: Nam aërem qvidem trahunt, sed aër non est fomentum vitæ, nec ros.*

ARTICULUS IV.

Docens, falsum esse, qvòd Chamæleon radiis nutriatur.

§. I. Argumentor: *Qvicqvid non est ens reale, id nutrire non potest: atqvi radii non sunt entia realia; Ergo radii nutrire non possunt.* Major probatur, qvia entia tantum realia, eaq; corporea nutriunt, cùm nutritio sit appositio novæ substantiæ ad aliud corpus. Minor patet ex sect. II. §. ult.

§. II. Sed negat Minorem *Patricius* ap. *Casmannum* l. c. c. 10. p. 378. qvi radios non tantùm pro *entibus realibus* habet, sed etiam pro *substantiis mediis inter spiritualem & corpoream*. Verùm cum hæc sententia jam dudum partim à *Casmanno*, partim etiam à *Sperlingio* Instit. Phys. lib. 3. p. 512. accuratè satis refutata sit, nolo hîc esse prolixior, sed *Lectorem Benevolum* eò remitto.

SECTIO

SECTIO IV.

ΑΝΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Affirmativæ ſententiæ argumenta refutans.

OBJECTIO. I.

Si homines & alia animalia aëre poſſunt vivere, immò eodem quoq; vivunt, ſequitur, quod idem etiam Chamæleonti accidere poſſit: atqui verum eſt prius; Ergo & poſterius. Minorem confirmant (1.) Exempla eorum, qvi per plures dies, ſeptimanas, menſes, qvin & annos à cibo abſtinuerunt. Sic inediam abſq; noxa toleratam per pluſculos dies obſervavit *Rhodius Cent. 2. Obſ. 55.* per XI. dies *Joh. Dominicus Sala*, per XX. dies *Horat. Augen. l. 4. de venæſ. c. 8. & Ant. Muſa Braſſavola Comm. in Hippocr. de rat. vict. acut. l. 1. §. 44.* Abſtinentiam ab omni cibo per annum I. integrum in Laura Narduccia Aqvilana notavit *I. Cæſ. Benedictus l. 7. Epiſt. Med. 1. p. 413.* per annos II. in moniali Stendalienſi *Thuanus l. 123. Cal. Rhodigin. l. 13. c. 24.* & de alia virgine Germanâ *Simon Portius pecul. libello*: per annos III. in puella Spirenſi

Langius l. 2. Ep. 27. & de alia Juliacensi vegeto corpore *Hildan. cent 2. obs. 40.* per annos IV. in Moniali *Matth. de Gradib. sect. 1. cap. 5.* nec non de Johanna Joh. Balami Fabri Conflani in Galliâ filiâ, *Francisc. Citesius peculiari opusculo, Meteran. l. 23. hist. Belg. ad Ann. 1602, Qvercetan diat. Polyh. s. 2. c. 4.* per annos VII. in Catharina è pago Palatinatus Schmidweiler, *Smetius miscell. Med. l. 10. p. 551.* qvæ carnosior semper evasit. *Hildan. Cent. Epist. l. 19. Levin. Hulsius in præf. de script. Regni Gujan.* qvæq; inediam ultra X. annos protraxit *Smet. misc. l. 8. p. 395.* per annos VII. qvoq; in Apollonia Schreyera, de qva singulari tractatu *Paul. Lentulus Bernens.* per annos VIII. in puella Halberstadiensi, de qvâ *Joh. Philippus Abelinus Theatr. Europ. T. 1. f. 1001. ad Ann. 1625.* per annos XV. *Conciliator differ. 112.* per annos XVI. in Eva Flegen Mœrsensi puella, *Hildan. c. 5. obs. 33.* per annos XXVI. *Conciliat. diff. 112.* per annos XXX. in fœmina Normanna suâ ætate *Conciliat. seu Aponens. ad Aristot. probl. ult. f. 10.* per annos XL. in sacrificio tempore Leonis X. Romæ in Custodia detenti, *Joubert. dec. 2. parad. 2.* Sic *Petrus à Castro* testatur, se scire vitæ spectabilis Sororem Ludovicam de

Carrione

Carrione à XXX. annis nihil guſtaſſe, & in *oppido* de Renteria Provincia Bardeliæ, ubi medicinam fecerat *Caſtro*, fuiſſe puellam Chirurgi filiam 20. annos natam, qvæ à ſeptimo anno nihil guſtaverit, præter aliqvid lactis, qvod mox vomit reddiderit, ultimoq; biennio nihil prorſus; qvin & *aliam* ſibi viſam in Hiſpania *puellam*, qvæ nihil comederit, ſed ſaltim aqvæ uſu vitam confoverit, licet tum annum egerit 22. Vid. *Sachſius in Gamm. p. 446. Marcell. Donat.* lib. 2. de admirand. Hiſt. Med. c. 11. *Lang.* Epiſt. lib. 2. epiſt. 27. *Qvercetan.* Diæt. Polyh. ſ. 2. c. 4. *Georg. Horſt.* Cent. Probl. Decad. 5. q. 7. *Bartholin.* Exercit. de Inf. venter. q. 11. *G. Fabr. Hildan.* cent. 2. obſ. 40. & cent. 5. obſ. 33. *Heurn.* Inſtit. lib. 8. c. 3. *Keckermann.* 3. Phyſ. c. 12. (2) His accedunt *Urſi*, *glires*, *hirundines*, *muſcæ*, *cancri*, *ſerpentes*, *cochleæ* &c. totâ hyeme latitantes, nec ullo alio, qvam *aëris* alimento utentes. Qvo pertinet etiam Animal illud qvadrupes Indicum, qvod *Canem levem* vocant: hoc enim etiam *aëre* nutriri *Scaliger lib. 1. de Plant. Ariſt. adſcriptis* docet.

SOLUTIO.

Reſpond. (1) in genere Diſt. inter *abſti-*

nentiam à cibo, & nutritionem ab aëre. Illam probant allata exempla; De hac verò est qvæstio.

(2) In specie, qvod ad *homines diuturna inediæ patientes*, attinet, putant nonnulli, uti *Langius lib. 2. Epist. 27.* & alii, id accidere *relaxatis in ventriculi orificio nervis*, unde *suctionis* sensus penitus pereat. Verum qvamvis hâc de caussa appetitus tolli possit, tamen hinc nondum liqvet, cur sine cibo tam diu vivere potuerint. Si enim in reliqvo corpore omnia salva sunt, certè qvotidianâ nutritione opus est: cui cum alimentum denegatum fuerit, ex alimenti defectu hominem perire necessum est. Alii itaq; caussam referunt in *humorem pituitosum, multum & crassum, caloremq; debilem*, qvi illum humorem crassum non valeat concoqvere. Verùm cùm videamus in Cachecticis & aliis sæpe plus pituitæ humorumq; frigidiorum abundare, & calorem esse debiliorem, qvàm in iis, qvos historiæ nobis describunt, qvi diu sine cibo vixerunt: nec hæc ratio satisfacere videtur. Probabilior ergo *Sennerti* ratio est, qvi corpora talia *pene indissolubilia, nihilq; aut parum ex iis exhalare, aut insensibiliter exspirare* dicit; qvod humore tenaci,

naci, bene concreto & compacto, & actioni caloris, nutrimentum depascentis, minimè cedente, & qvod uno verbo dici posset, fixo & stabili constent: caloremqve mitissimum esse & placidissimum; nec multum alimenti reqvirere; atq; ita ex alimento bene confecto tenaciterq; retento longo tempore conservari animal posse. Vid. *Sennert.* Inst. Med. lib. 2. part. 3. sect. 7. cap. 1. p. 320. *J. Cæs. Benedictus* lib. 7. Ep. 1. *Harsdoerf.* Recreat. Mathem. T. 3. part. 10. §. 11. *Sengverd.* l. d. p. 82. & imprimis *Fortunius Licetus* in Tr. de iis, qvi diu vivunt sine alimento.

(3.) *Glires* etsi *somnolenti* sint, falsum tamen est, *per totam hyemen* impransos atq; incœnatos illos indulgere somno. Obstat præter alias rationes experientia, ubi ova & gallinas hyemali tempestate rapuerunt, & correpti ipsi sunt. Fallitur idcircò ille apud *Martialem* glis:

Tota mihi dormitur hyems; & pingvior illo
Tempore sum, qvo me nil nisi somnus alit.

(4) Sic etiam à veritate alienum est, qvod dicunt, *Ursos mares hybernis men-*

ſibus ſomno ſepeliri qvadraginta diebus, fœminas qvatuor integris menſibus, & tunc maximè pingveſcere; Excitatos verò pedes priores cum murmure ſugere, ac mirifico illo pedum ſucco refici & nutriri. Nam concedo qvidem, latebras hyeme qværere urſos & ſomno indulgere maximè; ſed abſtinere prorſus cibo & ſucco pedum nutriri, nego.

(5.) Parili ratione nec *cancri* hyemali tempore *omni* deſtituuntur alimento; ſed, teſte *Sachſio l. c. p. 448.* nutriuntur *ſale* qvodam *balſamico*, qvo gaudent, ſicut & *ſerpentes*. Immò *Ariſtoteles* auctor eſt, *cancros* tempore latibuli *prodire aliqvandiu* de ſuo cubili paſtum, & præcipuè *plenilunio* ſeſe movere interdum locis tepidis, *lib. 8. cap. 15.*

(6) Idem de *ſerpentibus* refert *Qvercetanus Phyſ. Zool. cap. 4. p. 830.* qvamvis alia hîc ratio ſubeſſe videatur.

(7) De *Muſcis* verò, *Hirundinibus* & aliis *latentibus formis* tenendum, qvod nullo nutrimento indigeant; Ergo neqve aëre nutriuntur. *Zeiſoldus* qvidem *occultam nutritionem* illis adſcribit; ſed præter rem & rationem. Nam *primo*: Qvicqvid

qvid vita actu non gaudet, id nec ulla indiget nutritione, nec actu occultè nutritur. Ratio est in promptu: qvia nutritio est actus corporum viventium & patentium, non verò latentium, rigentium & frigentium. At formas latentes vita actu non gaudere, vel sensus & experientia testantur; E. *Deinceps*: In qvocunqve statu cæteri omnes vitales formarū actus cessāt & qviescūt, ibi nec nutritio, sive manifesta seu occulta, obtinere locum potest. Nam & hæc actum qvendam solis viventibus convenientem denotat. Unde à conjunctis ad divisa, à negatione universalis ad destructionem particularis rectissimè colligitur. At vero in statu latentiæ formarum cessant omnes vitales actus v. g. cognitio, appetitio, generatio, locomotio &c. Ergo. *Deniq;* largiamur tantisper, vel occultam saltim ibi occurrere nutritionem; Ergo Chylificatio qvoqve & conseqvens sangvificatio non obscuris inibi vestigiis deprehendetur? Ergo suum qvoq; circulationis munus in majoribus istis cumprimis animantibus sangvis expediet indesinenter? Hæc enim illa formæ munia, indissolubili vinculo nutritioni actuali connexa. Tantum vero abest, ut qvicqvam horum unqvam fando sit perceptum, ut omnibus potius experientiæ testimoniis contrarietur. Ergo. Porrò, alimentum

istud

istud, vel ab intra, propriâ scilicet m
teriâ, vel extrinsecus suppeditabitu
Neutrum, nisi reluctante veritate, conce
potest. Non illud: qvia balsamicâ d
stituuntur virtute & natura hac ratio
sui conservatrix simul & destructrix esse
Neq; hoc: Qvid enim hirundinibus hy
me littoribus toto agmine immersis: Qv
intra tabulatorum angustias delitescent
bus muscis suppetet ab extra nutriment
Nihil sanè qvicqvam. Ergo.

(8) Deniq; nec *cochleas*, nec *Anim*
illud *Indicum* aëre nutriri censendum e
De hoc enim nullum prostat experimen
tum, cui fides habenda. De illis ver
scribit *Sachsius l. c. p. 446.* Qvod hy
me non absq; omni alimento vivan
Testatur enim *Hildan. Cent. 2. obs. 42.* pra
sentibus *Dn. Doringio* & *Emanuele Ur*
stisio, se hyeme cochlearum testis fractis
cochleis inspectis oculari testimonio co
trarium invenisse.

OBJECTIO II.

Si animalia è vento concipiunt, n
obstat, qvo minus etiam vento & aëre v
vere possint: atqvi verum est prius; E
go & posterius. Minorem probant ex
perienti

perientiâ. Sic *Homerus Iliados XVI.* eqvos Achillis è Zephyro conceptos ait. Sic *Q. Smyrnæus lib. 8.* Martis eqvos è Borea conceptos tradit, & *lib. 8.* eqvum Arionem ex Borea & Harpyia natum refert. Similia habet *Maro Georg. III.* & *Silius lib. III.* Neqve verò *Poetæ* tantum, sed *historici* etiam hoc asserunt. Lusitanicas enim eqvas concipere è vento, auctor est *Varro lib. 2. de R. R. cap. 5.* cujus testimoniũ etiam laudat *Servius in 3. Georg.* vid. *Columella lib. 6. cap. 27. Plinius lib. 8. cap. 42.* itemq; *Solinus, c. 36 p. 108.* qvi hæc habet: *In proximis Ulyssipponis eqvæ lasciviunt mira fœcunditate. Nam spirante Favonio vento concipiunt, & sitientes viros aurarum spiritu maritantur.* Et cap. 57. p. 180. *Edunt eqvæ ex ventis conceptos, sed hi nunqvam ultra triennium ævum trahunt.* Idem etiam de *vulturibus* affirmat *Tzetze Chil. 12. cap. 439.*

SOLUTIO.

Sed refellunt hanc fabulam *Trogus*, homo Hispanus, libro ultimo, ubi & fabulæ originem promit; item eruditissimus ille Lusitanus, *L. Andreas Resendius lib. 1. Antiq. Lusitan. cap. de monte Tagro*, ubi negat, incolis ejus loci qvicqvam de

iste

isto constare; sed se cum eò rei inqvirendæ gratia esset profectus, cognovisse ex colono agri Beneventani juxta Tagum, eum eqvam in media Tagi insulâ inclusisse; hanc, licet sola ibi ageret, nec eqvum admisisset, secundo post mense gravidam esse compertam, septimoq; propemodum mense enixam, sed (NB.) *informem materiam, qvam abortum crediderit.* Et rectè qvidem. Nam sæpè in animalium utero ex *semine & sangvine ejusmodi informe corpus* elaboratur, qvod præter alia, testatur admirabile illud *prægnantis muli in lucem editi* exemplum, ap. *Antonium de Torqvemada Haxaem. Colloq. 6. p. 591.* Ita vero ille: Ich sage dieses umb eines Exempels willen/ welches sehr wunderbahr ist/ der gleichen ihr wohl vielleicht nicht gehöret habt/ daß an einem Orthe nicht weit hiervon/ wo wir jetzt seyn/ eine Mere oder Stute traghafftig gewesen/ deren der Bauch so dick worden/ daß wie die Zeit kommen/ daß sie ihre Frucht bringen sollen/ ein schwangerer MaulEsel heraus gekommen/ welcher so bald gestorben ist/ welcher eben so einen dicken Bauch hatte/ als die Mutter. Darumb der jenige/ dem sie zu stund/ wissen wolte/ was die Ursach sey/ und ließ den MaulEsel auffschnei-

den

den / da fand man noch einen andern Maul-Esel drinnen / davon er schwanger gewesen / ich weiß / das es gewiß war ist / dann viel unserer Nachbarn dieses Ohrts / die es selbst gesehen / und zwar zweene Priester / die es auch gesehen / haben mir es gleichfalls erzehlet. Sit fides penes auctorem. Cæterum pugnat illa de *conceptione aërea* sententia non cum *natura* solum, sed cum ipsa etiam *scriptura sacra*. Id qvod fusiùs demonstrare possem, nisi ad finem mihi properandum esset. Interim consuli potest *Vossius Theol. Gentil. lib. 3. c. 54. p. 1019.*

OBJECTIO III.

Si aves Paradisiacæ, & cicadæ & vivunt rore, seqvitur, qvod ros etiam Chamæleontis alimentum esse possit: atqvi verum est prius; Ergo & posterius. Minorem patere ajunt. *Manucodiatam* enim *rore* pasci, omnes ferè, si *Aldrovandum, Vossium, Schottum, Kirchmajerum*, & paucos alios exceperis, dicunt atqve scribunt. Idem etiam de *cicadis* affirmant non *Poetæ* solum, in qvibus *Theocritus* in Pastor. *Hesiodus* in Herc. Clyp. *Virgil.* Eclog. 5. Sed magni qvoq; nominis *Philosophi*, ipse *Aristot.* lib. 4. Hist. An. c. 7. & lib. 5. c. 30. *Plinius* l. 2. c. 26. &c Nec destitu-

destituuntur rationibus. Dicunt enim, Aristotelem l. c. asserere, *cicadas ore carere, nec ullum in ipsis reperiri excrementum*. Unde hæc argumenta: I. *Qvæcunq; ore carent, illa non possunt nutriri cibo alio, qvàm rore, per poros penetrante: atqvi cicadæ ore carent; Ergo.* II *Ubi reperitur nullum excrementum, ibi nullus alius cibus, qvam ros vel aër: atqvi in cicadis reperitur nullum excrementum; Ergo.* Minorem probant ex *Aristotele* dicente: *Excrementum cicadis nullum in alvo reperitur.*

SOLUTIO.

Resp. Negando *Minorem*. Nam (1) qvod ad *Manucodiatam*, si *rore* cœli victitant hæ aves, ubi eum captant? an in supremâ aëris regione? at hæc *purissima*, & nullo terrestrium rerum inqvinamento gaudet. Ros *propè terram* generatur: hinc meteororum omnium humillimum. At *altum* Paradisi volat avis. Ac *certis* duntaxat anni *temporibus* destillat *ros*. Ignorat eum *hyems*; qvæ licet *remissior intentiorq;*, pro regionum qvalitate sit, est tamen *hyems*. Qvo tum famelica avis (cum *sicci* pariter ac *calidi temperamenti* sit) reficietur pabulo? Qvin nec *omni*

vernali

vernali æſtivaliq; die, ſed *ſereniore* tantùm *ros* decidit. Adde qvod ſolo tempore *matutino*. Miſeris itaq; illis natura noverca fuerit, qvas deficiente rore emori neceſſum eſt. Elementa ſola nullum corpus vivum nutrire poſſunt, ut antea dictum? Qvid? qvod *occidat* potius *purus aër*, qvam ut conſervet. Rectius idcirco *Aldrovandus*, ſolidiori cibo, *inſectis* ſcilicet, tam *volucribus*, qvam *apteris* pro cibo, illis opus eſſe, ſtatuit. *Potum* verò *Manucodiatarum* ſuffidientes *Carolus Cluſius* deſcribit, ex poſtremis Batavorum in Indiam navigationibus. Breviter dicam: *Aqva* eſt; ſed limpidiſſima tamen & ſaluberrima. Vid *Kirchmajer. de Paradiſ. p. 68. 69.* (2) De *cicadis* notandum, qvod non tam veſcantur *rore*, qvàm *corpuſculis in rore contentis*. Ad argumenta vero allata, & ad I. qvidem Reſp. (α) Neg. *Majorem*. Nam præter *rorem*, alia etiam multa per *poros* tranſire poſſunt (β) *Minor* cum grano ſalis accipienda eſt. Nam utut cicadæ ſolæ inſectorum careant *ore*, *capiti* tamen additum eſt *qviddam concavum*, qvo liguriant. Id qvod ex ipſo etiam *Ariſtotele* conſtat. Sic enim habent verba l. c. ὁ δὲ τέττιξ, μόνον τῶν τοιούτων, καὶ τῶν

 ἄλλων

ἄλλων δὲ ζώων στόμα οὐκ ἔχει. Ἀλλ' οἷον τοῖς ἐμπροσθοκέντροις τὸ γλωττοειδὲς, τοῦτο μακρὸν καὶ σύμφυες, καὶ ἀδιάχιστον, δι' οὗ τῇ δρόσῳ τρέφεται μόνον. *Cicada sola ex insectis omniq; animantium genere ore caret: sed ut iis, qvibus aculeus in ore est qviddam lingvæ speciem referens; ita & illi est qviddam prolixum, consertum, & indivisum; qvo solo rorem haurit, qvo alitur.* Plinius hanc partem vocat *lingvam* l. 2. c. 26. & 37. sed melius alii *promuscidem*. Idem ille in *pectore* ejusmodi *cavitatem* reperiri putat, sed deceptus est in eo, qvod *cavitas* illa *pectori* est *vicina*. Aliud verò, *esse in pectore*; aliud, *vicinum esse pectori*. Sane nulli animanti *id, qvo cibum capit*, est in *pectore*, verùm in *capite*. Ad II. Resp *Neg. Minorem* Ad probationem autem dico primò: *Ab autoritate humana ad rem ipsam in Physicis N. V. C.* Deinde: falsum est, qvod *Aristoteles* excrementa cicadæ neget. Nec illa verba ex interpretatione *Gazæ*, qvæ & *Aldrovandum* ex aliis decepit, desumta, id ipsũ evincunt. Discrepant enim ab avthenticis immane qvantũ. Ita enim in Græco: Ἐν δὲ τῇ κοιλίᾳ οὐκ ἴσχει περίττωμα, hoc est, ut *Scaliger lib. 4. cap. 6. sect. 234.*

siv

five ex vulgar. dist. c. 7. optimè reddidit. *In ventre autem nullum retinet excrementum.* Aliud autem est, *nullum retinere in ventre excrementum*; aliud, *nullum esse in ventre excrementum*. Hoc falsum, illud verum. Scilicet, si alitur, excrementum habet. Sed cum id qvod alitur, adeò tenue sit, ut cito transeat, dicit *Aristoteles*, qvod nullum ἴχει *retineat* excrementum.

OBJECTIO IV.

Si pisces, si homines nutriuntur aqvâ, seqvitur, qvod etiam Chamæleon eadem possit vivere: atqvi verum est prius; Ergo & posterius. Minorem de *piscibus* confirmat *Rondelet. l. 1. Hist. Pisc. c. 12. 13.* Ipse etiam *Hippocrates l. 1. de vict. rat.* Ignis, inqvit, omnia semper movere, *Aqva* verò omnia semper *nutrire* potest. Et *lib. de affect. aqvam* non solùm *nutrire*, sed corpori robur addere asserit. Ita & *Aqva Tyberis* pingvefacere eqvos & mulos dicitur. Apud *Aristot.* qvoq; *lib. 4. de gen. anim. cap. 3.* dispositio corporis præcipuè ab *alimonia aqvæ* qvalitatem aliqvam recipere dicitur; similiter *Problem. sect. 1. probl. 13. & 15. Aqva* corpori *alimento* esse dicitur. *Theophrastus* item *lib. 2. de caus. plant. c. 8. & 15. Aqvam nutrire plantas*, Agricola-

rum testimonio, terram aqvâ irrigantium, comprobat: Atq; hoc est, qvod innuit D. *Charleton*. §. 9. ex eadem pluvia incrementum capere omnis generis plantas, qvia aqva, qvæ potentia similis erat omnibus, fit actu similis, postqvam in earum substantiam transmutata fuerit. Præterea refert *Albert. Magn. l. de Animal.* de qvodam *Melancholico*, qvi multis mensibus, qvinimmo, annis, vitam solâ *aqvâ* sustentarit: Similiter *Cœlius Rhodiginus historiam*. cujusdam puellæ refert, qvæ diutissimè solâ *aqvâ* vixerit: Ac *Epiphan. Ferdin. Theor. Med. & Philos. lib. 1. cap. 9.* testatur, sibi notum exemplum Andreæ Albertii, Messapiæ vice-Marchionis, qvi diebus 24. sine cibo vixerit, meram aqvam bibens; Cum alioqvi inedia ultra septimum diem, vel undecimum protracta, lethalis esse soleat, innuente Plinio lib. 11 *H. N. cap. ult.* seu, ut *Marsilius Cognatus Veronensis sentit cap. 7. de tuend. sanit.* Jejunium ultra diem, septimum vel ad summum decimum, vel duodecimum diem, non sit naturale: Qvo sensu item *Hipp. lib. de Carnib.* Hominem plerumq;, intra septem dies, si alimentum non sumat, mori; aut, si illud transmittat, mori tamen asserit. Vid *Deusing. l. c.*

SOLUTIO

SOLUTIO.

Resp. Neg. *Minorem*. Ad probationem verò distinguendum inter *aqvam puram & impuram*. Non illa, sed hæc alere dicitur. Ubi tamen iterum disting. inter *aqvam ipsam ; & aqvæ contenta*. Non ad illam, sed ad hæc potissimum in negotio hoc respiciendum est. Sic alit aqva *plantas* & nonnulla forsan *animalia*, non qvæ *pura* est; sed qvæ variis *corpusculis permixta*, qvorum beneficio alimentariæ virtutis aliqvid in se continet. Similiter & aqvæ, qvâ *pisces nutriri* creduntur, *cœnum* vel *lutum* admixtum est, ex variis plantarum vel animalium per putredinem in succum viscidum lentumq; dissolutorum, excrementis conflatum. Præterea & hoc notandum, qvod sicut ii, qvi *copioso ventriculi fermento* scatent, naturali qvadam inclinatione vinum appetere solent; ita qvi illius penuria laborant, ferè abstemii existunt, frigidioremqve potum solent affectare: Atqve hi interim velut destituti sunt magnam partem tali fermento, qvo solet major humorum in corpore fieri agitatio, ferventiorqve excitari calor, ac per conseqvens oboriri copiosior & partium ipsarum &

alimentarii ſucci diſſipatio atqve abſumtio; ita ſolent eſſe temperamento frigidiore, conſtitutione corporis obeſi, ac phlegmatici; qvalem qvoqve *Vice-Marchionis* illius, de qvo paulo antè refert *Epiphan. Ferdinand.* Unde & ejusmodi homines ſunt deſides, ſomnolenti, mites, taciturni, velut de puellâ qvadam Germanicâ, qvæ duos annos vixerit ſine cibo, refert *Simon Portius Neapolitanus.* Obtinent enim hi intus ſpiritus minus volatiles, ſeu partibus tenacioribus qvodammodo implicitos, nec adeò in actum ſuſcitatos, unde & minius ferventi ſunt calore præditi: Hine minus deteruntur corpora ipſorum, neqve copioſo alimento opus habent: Qvæ itidem cauſa eſt, cur ſenes facillimè jejunium ferant, juxta *Hipp. aph. 13. ſ. 1.* Qvinimmo alimentum, ipſimet qvodcunqve copioſius in corpore congeſtum obtinent; nimirum pituitoſos, viſcidos, tenaces ſuccos, ac frigidiorem ſangvinem, ipſamqve pingvedinem partibus adnatam, qvæ in nutrimentum rurſum abit: tali verò nutrimento inſito qvandoqve ſuſtentantur longo tempore: (Unde & mulieres, cum per tranſpirationem non diſſlentur, qvia cor-

pora

pora frigore coacta & condensata habent, & ob caloris imbecillitatem nullo vel exiguo alimento egent, suâ saturantur adipe, ut est ap. *Langium Epist: 27. lib. 2.)* velut plantæ variæ, allium, cœpæ, aloë, scylla, sempervivum, &c. ab insito succo *è* terrâ avulsæ, diutissimè virescunt. Ut adeò hîc *Elenchus* committatur *non caussæ ut caussæ*, dum *animalia nonnulla sola aqvâ nutriri* existimantur. Vid. *Deusingius l. c.*

OBJECTIO V.

Si dantur homines, qvos odor nutrit; Ergo etiam Chamaeleon odore alitur: atqvi verum est prius; Ergo & posterius. Prius probant testimonio *Plinii* & aliorum, qvi testantur, in *India* ad fontem *Gangis* esse *populos*, qvi dicuntur ἄςομοι, eosqve cùm *ore careant, solo odore florum, radicum & arborum vivere.* Adducunt deinde exemplum *Democriti &* aliorum, qvi aliqvamdiu *solo panis odore, solo mellis odore, nidore carnis assatæ* superstites vixerunt.

SOLUTIO.

Respond. (1) Existimo cum *Curao, Astomorum* gentem esse *fabulam Plinianam*, qvales

qvales in Autore isto plures reperiuntur. *Strabo* qvidem hoc recitat ex *Megatosthene*, sed perspicuè addit, hoc *fabulosum* esse. (2) Dist. inter *odorem ipsum*, & inter *odoris subjectum*. *Odor ipse*, qvà *odor*, non nutrit; *vapores* autem, qvibus inest *odor*; *alendi* virtutem habere possunt. Hinc *coqvi satiari* dicuntur *odoribus*, haud sine ratione: qvia scilicet è *rebus esculentis vapores exhalant*, qvos ipsi postea imbibunt.

FINIS.

SOLI DEO GLORIA.



INDEX

INDEX RERUM ET VERBORUM.

A.

B.

C.

item

Para-

P.

R.

.piniq.